

fo. Cur hoc? Quia jam Deus cum hominibus benigne fecerat, pro illis mori dignatus. David ergo hanc Dei benignitatem praesentens, & ab illa totum fere hominis meritum profecturum praevidens, ait: *Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes & holocausta.* Tunc, inquam, cum benigne feceris Sion. *Tunc imponent super altare tuum vitulos.* Altare Christi crux est: quoniam super hanc Christus, qui Sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, semetipsum obtulit immaculatum Deo. Hoc est mysticum illud altare, super quod Josue totum Deuteronomium scripsisse dicitur: (*Josue 8.*) Deuteronomium graece, secunda lex latine dicitur, *Prima lex fuit lex Moysi.* Secunda est lex evangelica per Christum data, & haec proinde est mysticum Deuteronomium. Hoc mysticum Deuteronomium super altare scribitur, dum Christus Salvator noster, qui rotam legem in se continebat, cruci affigitur. Christo enim cruci affixo, duo charitatis praecipua, ex quibus tota lex pender, hominibus ostenduntur. Super hoc altare homines imponent vitulos, cum pro amore Christi carnem cum vitulis suis crucifigunt. Nam caro nostra vitulus est: quoniam sicut hic jugum non novit, libere discarrir, undique saliens, ita caro nostra omne laboris jugum rejicit, discutere per delicias fatagit. Propter quod Hieremias is qui carnis delicias quaerunt loquens, ait: (*cap. 50.*) *Effusi estis sicut vituli super herbam.* Hos vitulos super crucis altare ponere, est carnem jejuniis, vigiliis, flagellis sic affligere, ut omnis illa lascivia moriatur & pereat. Sed ne in hujusmodi sacrificio, aut oblatione erremus, carnem magis quam decet affligentes, modum, quo id recte facere possumus, Myses nos docet, cum de vituli oblatione loquens, (*Levit. 1.*) ait: *Detrahta pelle hostiae, artus in frusta concident, & subiciant in altari ignem strae lignorum ante composita, & membra quae casta sunt, desuper ordinantes.* Hostiae nostrae pellem deponimus, cum vitae nostrae superficiem rejicientes, interiora illius perferutamur. Multa namque bona apparent, quae bona non sunt. Cum aliquis carnem suam ultra modum affligit, bonum se facere credit, quia quamdam virtutis speciem

actus ille habere videtur. Sed detrahta pelle, non ita esse (ut credit) judicabit: quoniam oportet carnem in servitutum redigere, non extinguere, oportet vitia carnis extinguere, non carnem ipsam. Propter quod artus in frusta concidi jubentur, ut videlicet mortificationis nostrae actiones singulas examinemus, ne sub virtutum imagine vitia aliqua lateant. Omnia hujus vitulimembra igne cremanda sunt, quia omnis carnis affectio igne charitatis cremari debet, ut bona sit, & Deo accepta. Omnia membra igne comburere docebat, qui omnia in Dei amorem referre monebat. Membra igne cremari praecipiebat Christus Salvator noster cum remota omni fallaci & inani gloria propter solum Deum, qui cordis secreta inspicit, jejunare, orare, elemosynam facere monebat. Ecce qualiter vitulum, hoc est carnem tuam immolare debes. Hos vitulos multi post Christi passionem super altare Dei, hoc est super crucem imponent: quoniam multi, carnis delitiis spreto, carnem suam cum vitulis crucifigere fatagunt, multi vestigia Christi sequi conantur, & ad illius exemplum corpora sua cruciatibus & mortibus tradunt pro amore illius, quemadmodum ille vitam suam pro nobis omnibus posuit. Tu ergo, qui libere per vitia tamquam vitulus saliens discurris, qui a carne tua omne subjectionis & afflictionis jugum excussisti, impone tunc vitulum super altare Christi, hoc est, super crucem. Ad Christi exemplum afflige carnem tuam jejunis, flagellis, vigiliis, peregrinationibus, quemadmodum ille pro te jejunavit, flagellatus est, vigilavit, peregrinatus est. Si non potes virginitatem servare, duc uxorem, si virginitatem non promissisti. Si non audes omnia pauperibus distribuere, saltem de eo, quod superest, fac elemosynam. Si non potes holocaustum facere, fac oblationem, quia postquam Deus benigne fecit in bona voluntate sua Sion, jam Deus acceptat oblationes sicut holocausta, quia cullibet illorum sacrificiorum (modo illud recte factum ferit) tribuet gloriam sempiternam, per merita Jesu Christi filii ejus, qui cum illo & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in saecula saeculorum. Amen.

LAUS DEO.



FRATRIS ALFONSI
A CASTRO
ZAMORENSIS,
ORDINIS MINORUM,
HOMILIAE VIGINTIQUATUOR HABITAE
AD POPULUM SALMANTICAE
IN CONVENTU
FRATRUM MINORUM.

SUPER PSALMUM,
BEATI QUORUM REMISSAE
sunt iniquitates.



SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI:

EX TYPOGRAPHIA BLASSI ROMAN.

ANNO M.DCC.LXXIII.

fura. Edocti sunt etiam peccatores, quo affectu, qua etiam reverentia Deum alloqui debeant, cum illum pro suorum venia peccatorum precantur. Hunc Psalmum ut viva illum voce ad populum fueram interpretatus, evestigio excudendum tradidi. Proximo deinde anno Psalmum trigessimimum, qui inter poenitentiales stato semper & fixo ordine secundus locatur, exponendum suscepi, in quo peccatores sic ad poenitentiam David hortatur, ut cogere videatur. Nihil enim in illo solo intentum reliquit, quod ad poenitentiae persuasionem, quovis modo conducere posset. Hinc praemis allicit, beatitudinem poenitentibus promittens, illic minis arget, multa docens esse peccatoribus parata flagella. Nunc poenitentiam ab utilitate, quam multiplicem & magnam esse docet, commendat. Nunc a necessitate illam laudat, ne quis aliud sibi parere suffragium peccator existimet. Nunc ab illius facilitate eam extollit, ne improbam forte illius difficultatem peccator causatus, excusare se merito posset. Neque vero persuasionis partes suscipiens, poenitentiae qualitates suis obliis docere. Sic enim hortatur, ut qualem oporteat esse poenitentiam, doceat. Sic rursum docet, ut animum ad poenitentiam ultro agendam impellat. Verum est hunc Psalmum, omnium quae ad poenitentiam spectant, utilissimum & copiosiori doctrina referentissimum esse experimento didiceram, aliquibus tamen aliis non minus utilis negotiis distractus, mala etiam valetudine impeditus, quae ad populum dixeram, scribere statim non potui. Amicis autem pluribus deinde rogantibus, aliis etiam arguentibus, ne talentum mihi datum absconderem, coactus fui illorum quae ad populum dixeram, memoriam refricare, & illa omnia in ordinem redigere, ut chalcographis in omnium usum traderentur. Ut autem Homilias quas super hunc Psalmum edideram, ad umbilicum perdoxi, illas tibi dicere decrevi, ut germanus Psalmus, germanum protectorem haberet. Psalmum siquidem quinquagesimum. Portugalliae Regi obtuleram: ut cum Davidem Regem alioqui benignum & justum, pro atrocibus suis sceleribus Deum orasse audiret, intelligeret non esse nunquam de statu suo vana securitate sibi blandiendum, sed provida semper circumspicione cavendum, ne dum magis forte se stare laetaretur, in pessima quaque vitia per focordiam & superbiam laberetur, ut etiam vel ex eo diceret Rex, qua benignitate & elementa subjectum sibi populum Regere illum oporteat, cum toties Deum suis peccatis exasperasse, & divina se egere misericordia intellexerit. Cui igitur Psalmum hunc nuncupare nisi tibi Illustrissime Princeps, qui Serenissimi Regis tam ex frater, ut non tam ovum ovo simile credatur, quam tu in Regis illius moribus exprimentis similis es illi. Multa siquidem tibi cum illo conveniunt. Pius erga Deum affectus, benigna atque humana cum subditis conersatio, iudicii rectitudo, sacrarum litterarum ardens amor, fervens zelus erga fidem catholicam. Diligentissima denique populi vobis commissi administratione. Ille enim sui regni gubernationi sic incumbit, ut nulla sit vel minima res ad regni sui administrationem spectans, quae illo inconsulto dispenfetur. Qua in re ab aliis plerisque regibus est longe diversissimus: qui ut a se omnem profusum laborem rejiciant, omnia per ministros decernunt. Tu vero tanto majori cura & diligentia id agis, quanto optime intelligis majorem esse Episcopi quam Regis obligationem, duriorumque a te, quam ab illo esse exigendam rationem. Vigilas quidem super gregem tuum tamquam redditurus Deo rationem pro illo. Animam tuam ad instar Christi Salvatoris nostri, verique nostrarum ani-

marum pastoris pro ovibus tuis ponis, cum omnes tuos cogitatus, omnes tuos affectus omnes denique vires tuas huic impendis negotio, ut vel unam ex ovibus tibi commissis non perdas. Neque enim tu ex illorum numero es, qui non ut prosint, sed ut praesint, Episcopi sunt, & ad hoc solum pastoris officium suscipiunt, ut ovium ubera premant, & vellera tondant, non ut pascant, aut a lupis defendant. Tu siquidem eius Regis filius regisque frater, Episcopi onera sibi non reculas, & illius partes, quae multae & laboriosae sunt, (ut aliis multo te inferioribus saepe contingit) exequi non dedignaris. Quanta autem sollicitudine illas partes, ne fame verbi Dei intereat, testis est schola Bracharenfis, quam tuis sumptibus erexit, ut per illam densissima, quae olim invaluerant illi tenebrae, prodigerentur; restas sunt etiam quamplurimi viri docti, quos tuis stipendiis, iisque largissimis, in hoc officium alis. Unde evenit, ut quemadmodum caelum nubes, ita tu virorum eruditorem gregem ad te trahas. Et merito quidem: quoniam si solis verbis, ut plerisque mos est, viris doctis faveres, multi ad te veluti ad quoddam miserum refugium confugerent, ut tuo favore vel aspirare liceret: tanta est (proh dolor) virorum doctorum abjectio, praefertim eorum, qui se divinis manciparunt litteris, quibus alendis & fovendis rarus hodie invenitur Maecenases. Verum cum non solis verbis faveas, sed quae tua est munificentia, muneribus largissimis allicias, largioribus foveas, dignum quidem est, ut in te viri docti confluant, & ad te velut ad ratissimum placidissimumque portum confugiant.

*Munera crede mihi capiunt hominesque deosque:
Placatur donis Jupiter ipse datus.
Quid sapiens facies? stultus quoque munere gaudet.
Ipse quoque accepto munera mitis erit.* (Ovidius *Libro 3. de arte.*)

Merito igitur cum Apostolis suis, in quorum nunc locum es subrogatus, piscatorem animarum te Deus esse statuit: qui sic viros doctos inescare nosti, ut rarus sit, qui tuis laqueis non libenter capiatur. Tibi igitur Serenissime Princeps veluti unico Theologorum praesidio, his viginti quatuor Homiliis, quas super Psalmum trigessimimum Salmanticae ad populum habui, dicandas censui: quas pro tuo illo vere regio animo gratas spero accipies. Neque aspernaberis, scio, exiguum munusculum, sed mitentis animum tibi longe deditissimum aestimabis, sicut Xerxes ille potentissimus Rex, qui aquam manibus haustam a rustico libenter accepit, & Christus Xerxe illo, immo regibus omnibus superior, pauperculae viduae nummulo omnibus omnium divinum oblationibus antetulit. Quod hoc si tibi placuisse intellexero, obligatam me hac ratione efficiet, ut majores & meliores operas, quas jam parturio, tibi offeram. Vale virorum doctorum unicum praesidium & totius Hispaniae decus. Ex Salmantica, sexto calendis Julii. Anno Domini. M. D. XL.

TI-

TITULUS PSALMI XXXII.

Intellectus David, vel secundum aliam translationem, Davidi intelligentia.

HOMILIA PRIMA.

TAM immensa est divinae bonitatis fecunditas, ut non solum ex bonis bona, sed ex malis, quae illo permittente plurima subinde fieri contingit, bona semper elicere velit. Nam Deus omnipotens, cui rerum est summa potestas, ut Augustini verbis utar, cum summe bonus sit, nullo modo sineret mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo. Non quidem, quod malis ipsis virtutum & potestatem ad bonum aliquid producendum Deus tribuerit, nam hoc sentire, summe dementiae esset: quoniam (ut ipsamet veritas ait *Math. 7.*) *arbor mala non potest fructus bonos facere*: sed, quod illa ex se facere non queant, Deus pro sua immensa bonitate ex illis occasione capta, elicit, cum bona facit, quae nisi mala praecedissent, non fuisset facturus. Mala quidem sunt primi hominis inobedientia & divini praeccepti transgressio, sed haec, Deo auctore, in maximum ceisit bonum, cum ad hominis redemptionem, qui propter peccatum a demone captivus tenebatur, Deus homo fieri, & pro hominibus mori dignatus est. At si homo non peccasset, quamvis iuxta quorundam sententiam, Deus homo nihilominus fieret, numquam tamen mortem gustasset. Nulla etiam lingua dicere, nullusque intellectus capere sufficit, quale quantumque peccatum commiserint, qui agnum innocentissimum absque omni macula, Deis scilicet & hominis filium, tam crudeliter, & tam turpiter interfecerunt. Sed hanc caedem, quae gravissimo Judaeorum scelere commissa est, Deus in nostram, hoc est totius humani generis utilitatem convertit, cum per illius mortem omnium delicta condonavit, & omnibus, regni caelestis introitum patefecit: quae omnia nisi Christi morte intercedente, nullas assequi potuisset. Nam (ut egregie Apostolus docet *Hebr. 9.*) sine sanguinis effusione, non fit remissio, neque sine sanguine Sacerdos in secundum intrabat tabernaculum. Et ideo Christus assidens Pontifex, per proprium sanguinem introivit semel in sancta, ut omnibus nobis in posterum patentem accessum reliqueret. Nullum denique a quovis homine malum committitur, quod Deus pro sua erga nos immensa pietate, non vertat in aliquam, aut illius qui commisit, aut aliorum utilitatem. Propter quod mihi recte Moyses dixisse videtur, cum de Deo loquens, ait (*Deuter. 32.*) *Qui fugit mel de petra.* Nam petrae nomine, eo quod sterilis illa sit & ponderosa, peccatum non immerito significari potest. Mel autem cum dulce sit, bonum quodlibet designare potest: quoniam nihil virtute & bonitate dulcius esse potest. Tunc ergo Deus mel de petra fugit, cum ex malis quamlibet gravibus quae homines committunt, bona aliqua elicit. Merito ergo nos Deo dicere poterimus, id quod malus ille servus Domino suo (alia fortan intentione) dixit: (*Matth. 25.*) *Melis ubi non seminasti.* Mala siquidem quae nos committimus, quasi quaedam semina nostra sunt, quae nos male operantes seminamus, non autem Deus, quoniam Deus non est, culpae nostrae auctor, sed virtutis, quemadmodum ipse Ibraelem per quemdam Prophetam docens, ait: (*Ose. 12.*) *Audi*

Israel, ex me adiutorium tuum, ex te autem perditio tua. Cum ergo Deus ex malis nostris bona elicit, metis ubi non feminaverat. Aliquid tamen interest inter eos qui mala committunt: quoniam si is qui malum aliquid commisit, ferreum cor habet & intractabile, malum illius Deus in aliorum justorum, qui secundum positum vocati sunt sancti, vertit utilitatem. Si quis vero ex electorum numero peccare contingit, etiam hoc ipsum Deus pro sua pietate illi facit proficere in bonum, cum ex perpetrato scelere illum docet humilitatem & cautelam, ut videlicet sibiipsum deinceps non fidat, sed in Deo solo, spei anchoram figat, in illo solo puppin (ut dicitur) & proram constituat, cautior deinceps vivat, & diligentior in sui custodia perseveret. Hinc Paulus ait: (*Rom. 8.*) *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Omnia quidem, sive bona illa sunt, sive mala. Nam electis Dei, in bonum etiam cooperantur omnia mala: quia illis proficiunt mala ipsa quae faciunt, cum post perpetratas culpas humiliores redeunt atque doctiores, sicut viceversa contingit aliis, qui ex bono opere superbientes, deficiunt, & detrimentum patiuntur. Propter quod sapiens ait: (*Eccle. 42.*) *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier.* Viri nomine, justus & fortis significatur. Mulier vero, infirmam & fragilem mentem figurat. Contingit autem saepe, ut vir fortis in peccatum labatur, & homo peccator & debilis bene operetur, hoc tamen inter utrumque interest, quod peccator ex bono opere superbit, & ita gravius laeditur, vir autem justus & fortis, ex hoc quod se male egisse agnoscit, humiliatur, & cautius deinde vivit; quo fit, ut inde ad majorem justitiam proficiat, unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur. Melior est ergo iniquitas viri, quam benefaciens mulier: quia saepe magis proficit justus ex unius peccati ruina, quam homo peccator ex aliquo opere bono. Multum quippe profuit Petro peccatum, quo magistrum suum dejerans negavit, quem anrea usque ad mortem se confessurum facile promiserat. Inde enim didicidit Petrus nunquam de suis viribus praesumendum, sed in Deo confidendum: quo sine, nihil boni quicquam agere potest: quoniam neque agere, neque cogitare, neque dicere aliquid bonum, nisi Deo adiutore, possumus. At, qui sic est doctus, ut sibi ipsi diffidens soli Deo innitatur, tantum profecit, ut jam amplius Deus illum peccare non sinat. Nam (ut ait Propheta *Psal. 125.*) *qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in aeternum.* Multum etiam David ex peccato suo profecit, nam postquam per Nathan Prophetam reprehensus est, & Deo inspirante in animam illius spiraculum vitae, respicit, cepit cognoscere malum in quod se lubens injecerat, & bonum quod per negligentiam & focordiam amiserat. Nam sic usu evenire competimus, ut tunc homines sua intelligent bona, quam quae in potestate habuerant, amiserunt. Hoc ergo bonum ex Davidis peccato Deus elicit, quod inde Davidem humiliorem & cautorem fecit. Non enim debito Davidem multo meliorem & doctiorem post poenitentiam fuisse, quam ante peccatum. Post poenitentiam humiliatus est, ipsomet testante, qui ait: (*Psal. 37.*) *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis.* At humilitas intelligentiam aperit, quemadmodum superbia claudit. Per humilitatem enim multa discuntur bona, per superbiam autem, nisi nisi malum, propter quod ipse, alibi ait: (*Psal. 118.*) *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Et hoc est quod titulus Psalmi indicat, cum ait: *Intellectus David.* (vel secundum Pagnini Lucensis translationem) *Davidi intelligentia.* Quae translatio apertius tituli

FRATRES ALFONSI
 A CASTRO
 ZAMORENSIS
 ORDINIS MINORUM
 HOMINUM VIGINTIQUATUOR HABITAE
 AD POPULUM SALMANTICAE
 IN CONVENTU
 FRATRUM MINORUM
 SUPER PSALMUM
 BEATI QUORUM REMISSAE



SUPERIORUM PERMISSU

MATRITI
 Ex Typographia Blasii Romani

Anno M.DCC.LXXIII



EPISTOLA
 ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
 DOMINO HENRICO PORTUGALLÆ INFANTI,
 ARCHIEPISCOPO BRACCARENSI,
 ET IN REGNO PORTUGALLÆ
 SUMMO DE REBUS FIDEI COGNITORI. &c.
 FRATER ALFONSUS A CASTRO.

S. P. D.



QUALIS quantaque sit illustrissime Princeps in Psalmis Davidis Prophetarum omnium excellentissimi, mysteriorum altitudo, quantaque ad omnes omnium hominum status utilitas, neque ego, cui nullus eloquentia torrens contingit, neque ii, qui in rebus aliis differendis felicissimi fuere, multis voluminibus, nedum epistola una explicare poterunt, si pro illorum meritis laudes & gloriam predicare voluerint. Est enim in illis tanta doctrinae fertilitas, tanta sententiarum gravitas, tanta eruditionis fecunditas, tanta denique prophetiae densitas, ut nihil sit quod desiderare possis, siue pietatem, siue disciplinam, siue rerum gestarum notitiam ab illo requiras. Nam si de pietate & religione doceri optas, nullus est qui illud beatissimae Triadis in unam coeunitis usiam sacratissimum mysterium apertius prodat, nullus etiam (de Prophetis loquor) qui totum vitae salvatoris nostri decursum tam exacte, ut ille, describat, nullus, qui varia illius tormenta, quae pro nobis in cruce mitissimus tulit, ad unum usque, quemadmodum ille reulerit, ut jam magis in passione Christi praedicanda, evangelista, quam Propheta censeferi possit. Nullus, qui cultum Deo exhibendum ubertius & expressius doceat. Apud illum namque invenies quomodo Deum orare debeas, qualiter sit ille rebus omnibus praefereendus, quo pacto in illo puppim (ut dicitur) & proram collocare te oporteat, quomodo pro beneficiis ab eo receptis, quae multa & magna esse docet, sint illi gratiae agendae. Si disciplinam cupis, quis illam melius docere poterit quam ille qui diutissime in illa versatus, per illam Dei justificationes celerrime didicit, ob quam causam ad flagella semper paratum se fuisse testatur, tantum abest, ut illa, cum insignirentur, pati recusaverit. Sui igitur exemplo afflictos omnes consolatur. Si historiam perqui-

ris, in illo solo omnium fere rerum à Deo gestarum monumenta tenebis. Quae enim in pentateucho & aliis veteris instrumenti voluminibus mirabilia Dei longo tractu describuntur, illorum fere omnium memoria in Psalmis Davidis refricatur, ita ut illis veluti quodam divinatorum chronicorum enchiridio uti possis. Jam si de moribus & virtutibus instrui optas, solus hic fatis est ad omnem virtutem perfecte addiscendam, cum nullum sit virtutis genus, de quo ille ubertim & splendide non doceat, nulla contra vitiorum pestilens farrago, nullaque illorum venenosa soboles, de quibus ille non moneat. Nec solum docet, sed suadet etiam ad viam virtutis capessendam. Et in suadendo mirum quanta vis. Sic enim suadet, ut facile quisque ab illo persuadeatur, si intento corde & minime obdurato, illum quis legere voluerit. Inter tot autem Davidis egregias dotes, illa omnium praestantissima est, qua peccatores omnes ad poenitentiam hortatur. Illic enim omnes suas exerit vires, omnes adhibet eloquentiae nervos, nullum non movet lapidem, ut peccatori male actorum poenitentiam persuadere possit. Quo fit, ut cum in aliis rebus David Prophetas omnes longo antecurrat spatio, in peccatorum tamen cordibus movendis, fovendis, & promovendis seipsum superasse videatur. Ob hanc causam ego, qui Ecclesiasten siue concionatorem ago, aliquos illius Psalmos, qui à poenitentia quam tractant, nomenclaturam susceperunt, ad populum viva voce sum interpretatus, sperans non parvam inde peccatores utilitatem capturos. Nam Psalmum quinquagesimum, quo divinam ille impetravit misericordiam, anno ab hinc tertio coram populo exposui. Illic Davidis testimonio docui, nunquam ob maxima quaeque scelera esse deiciendum animum, sed in divina semper misericordia sperandum, quae omnes nostras iniquitates quamlibet graves, immensa superat men-

senfum indicat, eo quod vitatur ambiguitas, quæ oriui possit ex nomine David, posito sine ulla inflexione, & casus distinctione, ob quam causam possent illa verba ad utramque partem detorqueri, ut dicant Davidem fuisse eruditum, aut illum erudire alios. Hanc tamen amphibologiam optime vitavit Pagninus, cum transtulit, Davidi intelligentia. Ex qua translatione colligimus, illud nomen, David, in communi & vulgari translatione esse dativo casu positum, ut sit sensus, Davidi post penitentiam esse datum à Deo intellectum, ut intelligeret, quod nihil ex se homo possit, quod Dei adiutorio semper indigemus: quod nullus suis meritis salvatur, quod numquam ob quantumcumque facinora sit desperandum, sed de divina misericordia semper confidendum, quod peccato commisso, necessaria est illius confessio, quod illa interveniente, peccatum quamlibet grave dimittatur. Hæc & alia huiusmodi David post peccati penitentiam, Deo interius docente, didicit. Quemadmodum vero ipse à Deo edoctus fuerat, sic alios erudire curavit, ut fidem suam quam obstrinxerat, liberaret. Promiserat enim olim David (Psal. 50.) se docturum iniquos vias Dei, si misericordiam, hoc est peccatorum forum, quæ magna & multa esse cognoscebat, remissionem assequeretur. Huius igitur promissi memor, ne Deo velut stulta & infidelis sua displiceret promissio, hanc trigessimum primum Psalmum composuit, quo penitentiae virtutem, & divinæ bonitatis largitatem, quæ peccatoribus peccata sua consistentibus præsentissimam tribuit indulgentiam, exprimere est conatus. Ut autem hoc melius faceret, seipsum in exemplum omnibus peccatoribus profert, ut suo periculo illos cautiore reddat. Mala quæ passus est, eo quod suum celaverit peccatum, narrat, bona quæ per peccati confessionem est assequutus, indicat. Qualem oporteat esse confessionem, ut peccatorum remissionem impetrare valeat, docet. Hic ergo Psalmus pro titulo intellectum habet, quoniam Davidi, & omnibus aliis peccatoribus dat intellectum, & instruit illos, ut in via hæc, qua gradiuntur, non sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In hoc Psalmo erudiuntur omnes, ut numquam de iustitia sua, ad instar pharisæi in templo orantis se factare audeant: numquam de bono, si quod fecerint, gloriam sibi arrogant, sed Deo semper acceptum referant, numquam ante gratiam de meritis suis, quæ nulla sunt, gloriantur, numquam de peccati impunitate præsumant, sed cum peccatum aliquod mentem sollicitaverit, multa esse peccatoris flagella considerent, ut saltem illorum horrore & metu perterriti, à peccato perpetrando revocentur, quod si in peccatum labi contigerit (continger autem sæpe) unicum esse huic veneno saluberrimum antidotum sciant, male scilicet actorum confessionem & penitentiam, quæ nulli peccato quamlibet atroci non medetur. Hoc igitur emolumentum David ex peccato suo (Deo tamen auctore) habuit, quod inde humilior & doctior evasit. Et hanc causam unam & præcipuam ego esse censeo, propter quam Deus electos suos in maxima quandoque vitia labi permittit: quia illos inde occasione accepta, ad suæ infirmitatis cognitionem erudit, & sic humiliores & cautiore facit. Et hoc ipsum sub quadam figura Deus olim prænuñciavit: (Judic. 3.) cum terra promissionis in potestatem filiorum Israel tradita, barbaras nationes, quæ in terra illa erant, Chananeam & Amorrhæam & Jebusæum prorsus subvertere noluit, sed illas reliquit, ut erudiret in eis Israel. Quid per barbaras nationes nisi peccata designantur? Nam præter hoc, quod omnes illæ peccatis

repletae erant, illisque serviebant, ipsa nominum interpretatio peccatis usquequaque convenire demonstrat. Amorrhæus enim, amarus dicitur latine, at nihil amarius peccato. Nam Princeps Apostolus Simon mago loquens, (Act. 8.) peccatumque illius exprimens, dixit: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Peccatum siquidem illius, dixit amarum esse sicut fel. Et ob hanc causam Spiritus Sanctus, qui totius bonitatis fons est & origo, in columbae specie apparere dignatus est: quia hæc avis, felle carere dicitur. Peccatum ergo omnem, eo quod amarissimum est, Amorrhæi nomine significatur, Chananeus Hebraice, Latine dicitur affligens. Nihil autem gravius & acerbius mentem affligit, quam peccatum. Nulla siquidem major afflictio in hac vita esse potest, quam divinam super se portare maledictionem, à Deo omnium bonorum parente longissime abesse, ab hereditate paterna, æterna videlicet beatitudine, esse abdicatum, penes denique intolerabilibus & sempiternis (nisi penituerit) esse jam destinatum. Omitto alias afflictiones, quas singula quæque vitia tamquam proprium satellitium secum afferunt: quoniam hæc penæ innumeratae sunt. Unde Sapiens ait: (Eccle. 2.) *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiā; peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluum.* Non quidem, quod hæc afflictionis causa in Deo ipso sit, sed in peccatore; qui suo arbitrio peccavit, in cuius peccati penam, hanc illi Deus permittit afflictionem. Chananeus igitur, qui affligens dicitur, peccatum merito significat, quod (nisi penitentia deleatur) mentem sine ulla intermissione affligit. Jebusæi nomen non minus peccato convenit, quam reliqua. Nam Jebusæi significationem si verbis latinis exprimas, sonat concultatus, & peccator velut res omnium abjectissima, ab omnibus concultabitur in die iudicii, & nunc à demonibus concultatur. Peccator siquidem est terra illa secus viam, in qua semen iactatum fructum non tulit, eo quod à transiensibus concultatum est. Neque ob aliam causam peccator concultatur, quam propter peccatum: quoniam homo aliqui magnæ est apud Deum æstimationis, peccatum tamen cuius est, propter quam velut quædam vilissima res contemnitur, & concultatur. Vidistis jam quo pacto peccata barbaræ meritò & inculcæ dicantur gentes, scilicet, Amorrhæus, Chananeus, Jebusæus & cætera id genus; sed hæc gentes Dominus in Israele relinquit, cum iustum aliquem in vitia magna labi permittit. Quod autem sine reliquerit, subjungens exprimit. *Ut erudiret, inquit, in eis Israel.* Israel ergo reservatis gentibus eruditur: quia cum iustus in vitium aliquod labitur, multa ad salutem suam necessaria inde discit. Inde enim quam fragilis sit & debilis agnoscit, qui ante peccatum multa & magna de se præsumebat, inde quo pacto alios corrigere debeat, docetur. Qui enim nunquam grave aliquid, quod sibi debeat ignoscere, commisit, nondum qualiter sit aliis ignoscendum, plene didicit. Et ob hanc causam (juxta Augustini sententiam) Deus Petrum peccare permittit, ut ex his quæ passus fuisset, disceret misericordiam. Vix enim fieri potest, ut qui misericordiam sibi necessariam intelligit, aliis misericors esse nolit. Hinc Paulus ait: (Galat. 6.) *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tentaris.* Ut quisque aliam recte corrigat, moneat Paulus ut seipsum prius consideret, vitia sua scrutetur, quoc quantum fecerit, quibus misericordia sit opus, advertat. Nam si solum proximi peccatum consideraverit, & suum non attenderit, movebitur non ad miserationem,

sed ad indignationem, non ad instruendum in spiritu lenitatis, sed ad destruendum in spiritu furoris. A seipso ergo modus correctionis distat, ut videlicet, ea mansuetudine & misericordia alios corrigit, qua ipse, cum in peccato fuit, corrigi optavit. A seipso etiam subditorum fragilitatem discit; indignum quippe esse, ut cum vitreus quis sit, ferream patientiam ab aliis requirat, sed eam fragilitatem in aliis post peccatum agnoscat, quam in se fuerit expertus. Discit etiam iustus ex peccato cautelam: quia eo in posterum cautius vivendum esse intelligit, quo magis antea per imprudenciam cecidit, & tanto majorem sollicitudinem & circumspectionem in certamine adhibet, quo magis hostium astutias & potentiam expertus est, à quibus iterum vinci formidabat. Hinc Hieremias Propheta, (cap. 31.) iustum qui à peccato respicit admonet, dicens: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines.* Speculam sibi statuit, qui ventura victoriam certamina ex alta consideratione prænotavit. Amaritudines sibi ponit, qui præterita peccata, ut de illis penitentiam agat, ad memoriam revocat. Ipse sibi amaritudines ponit, qui in amaritudinem vertit, quæ sibi antea male dulcia fuerunt. Amariudines igitur sibi ponere præcipitur, qui in specula stare debet: quia tunc quisque futura quæ imminet melius circumspicit, & cavet vitia, cum penitens ante oculos suos ponit præterita quæ olim commisit: quoniam ab illis edocetur, quo pacto ab aliis se custodire debeat, nam ut quidam dicit,

Per varios usus artem experientia fecit.

Exemplo monstrante viam.

Quum equus semel in loco aliquo lapsus est, tam vehementer locum illum reformidat, ut etiam si calcaribus urgeas, vix illac transire compellas: quoniam suo ipsius periculo jam factus esse cautior. O igitur detestandam plusquam beluinaum multorum hominum hebetudinem, qui quantumlibet exemplorum moleitudine nunquam doctiores sunt, neque suis periculis sunt cautiore, sed ad eundem lapidem sæpius offendere non verentur. Longe tamen aliter Davidem fecisse non ignoramus, quem postquam de adulterio & homicidio penituit, nunquam in similia vitia lapsus esse cognoscimus: quoniam, experientia docente, jam causas & origines peccatorum didicerat, quale sit peccati venenum intellexerat, jam vias, quibus itur in peccatum, agnoscebat, & ideo ab illis summa cum diligentia abstinere curavit. Nam post penitentiam dicit: (Psal. 82.) *Mihi Deo adhærere bonum est, & ponere in Deo spem meam.* In Deo solo sperat, & non in suis viribus: quia quid ex seipso possit, jam expertus fuerat, post penitentiam majori cum cautela semper vixit: quapropter sciens per oculos mortem ad illum intrasse, illos custodire sagax. Veram quæ scit, quod nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam; (Psal. 118.) ideo Dominum orat, dicens: (Psal. 39.) *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Alios etiam de eadem re docet, dicens: *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitatis & insanas falsas.* Vanitates dicit omnia quæ sunt in hoc mundo: quoniam omnia illa (Salomone teste Eccle. 1.) vanitas sunt. Ut autem omnes ad illarum contemplantionem averteret, melius facere non potuit, quam dicens illum esse beatum, qui in illas non respicit. Expertus etiam fuerat David, quantum animæ nocerent collogia præva: ideo in Dei laudibus se totum occupat. Nam media nocte surgens ad consistendum Deo, & septies in die, laudes illi dicebat. Sed quia optime novit, quod nemini potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto, ideo Dominum precatur dicens: (Psal. 140.) *Pone Do-*

mine custodiam ori meo, & ostium circumstantiae labii mei, ne non declinet cor meum in verba malitia. Sciebat etiam, quod perverse cogitationes separant à Deo, ideo tota die in lege Domini meditatur & in mandatis illius, quæ dilexit, cogitabat. (Psal. 118.) *Didicerat etiam totius mali unicum originem esse otiositatem, ideo ab ea longissime abesse curavit.* Quale autem suum fuerit exercitium, ipse indicavit dicens: (Psal. 76.) *Exercitabar, & scopulam spirituum meum.* Et iterum. (Psal. 118.) *Servus autem tuus exercitabar in tuis justificationibus.* Non exercebar in agrorum solitione, aut hortorum cultura, aut arborum amputatione, aut regni dilatione, aut cuiusvis alterius patrimonii ampliatione: quoniam omnia hæc vana esse censeo, & instabilia, quæ consistere nequeant. Exercebat ergo in mandatis tuis, & considerabo vias tuas: quoniam qui tuâ servat mandata, aliud illi parasti regnum, multo his terrenis melius, quod quidem non temporale est, sed regnum omnium seculorum. Vides quantum suæ salutis curam David post peccati penitentiam habeat, quantum sollicitudine cor suum custodiat? Numquam enim tantam antea adhibuerat curam, eo quod tunc sibi opus esse nondum intellexerat. A peccato ergo quod commisit, intellexit sollicitudinem sibi esse necessariam. Hæc autem omnia, quæ ipse post peccati penitentiam, Deo interius docente, didicit, alios nunc docere vult, ut satis suæ promissioni faciat, qua promiserat se docturum iniquos vias Dei, ut illis agnitis, ad Deum converti procuret. Vos igitur peccatores, ad quos solos nobis est sermo, & quos solos David in hoc Psalmo erudiendos suscepit, attentos esse precor, & Propheta eruditionem, quam vobis in hoc Psalmo tribuit, tota mente suscipite: quoniam si illam bene servaveritis, non dubito, quin præterita vitia relinquentes, ad virtutis viam capeffendam curratis, & sic eatis de virtute in virtutem, ut tandem Deum in Sion videre possitis per merita Domini nostri Jesu Christi, quicum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

HOMILIA II.

Beati quorum remissa sunt iniquitates.

QUI persuadere aliquid aliis conatur, omnibus modis illud laudare, atque maximis quibus potest præconiis extollere nititur, ut vel sic auditorum animos ad illius amorem alliciat. Tunc enim facillime quisque de aliqua re persuadetur, cum illam undique bonam, videlicet honestam, utilem, atque delectabilem esse plene intellexerit. Est enim talis natura boni, ut illud cognitum neminem non appetat. Bonam ergo esse eam rem quisque debet ostendere, quam ab aliis amari & desiderari cupit: quoniam nisi bonam esse vel aliqua ex parte confiteretur, fieri non poterit, ut aliquis illius amore rapiatur. Ad hunc modum mihi nunc David fecisse videtur, qui cum peccatores omnes ad penitentiam hortari vellent, penitentia laudes enarrare decrevit, & ideo ab omnibus maxima penitentia virtute nunc auspiciatur, sic inquitens. *Beati quorum remissa sunt iniquitates.* Non dicit beatos eos, qui sunt peccatorum expertes, sed eos felices esse asserit, qui ut peccaverunt, eorum iniquitates remissæ sunt. Quoniam in hoc Psalmo non laudatur innocentia, sed penitentia. Prima igitur penitentia laus est, quod per illam iniquitates omnes quamlibet graves remittantur. Et ob hanc causam beatos esse asserit penitentes: quoniam peccata, quæ illos bea-

beatitudine consequenda impedebant, penitentia interveniente, remissa sunt. Beati igitur penitentes: quoniam viam apertissimam & rectissimam ad beatitudinem assequendam ingressi sunt. Nam via ipsa ad beatitudinem, in sacris litteris frequentissime nominatur beatitudo. Non enim ob aliam causam beatus dicitur qui timet Dominum, quia quia via certissima ad beatitudinem est timor Dei. (*Psal. 111.*) Ob eandem causam qui perfectionem patiuntur propter justitiam, dicuntur beati. Quoniam (ut ait Apostolus *2. Tim. 3.*) omnes qui pie volunt vivere cum Christo, persecutionem patiuntur. Ob hanc etiam causam beati dicuntur, quorum remissa sunt iniquitates: quoniam adeo certam beatitudinis viam sunt assequuti, ut si ab ea non deslexerint, de beatitudine assequenda sint securi. Magna ergo iure censenda est hanc penitentia virtus, quod illa interveniente, peccata remittuntur, & paradisi portae, quas nobis peccata occluserant, patefiunt. Penitentiam hic dicimus, non cuiuslibet poenae tolerantiam, prout vulgus dicere solet, qui tunc aliquem penitentiam agere censet, cum jejunat, aurorat, aut peregre proficiscitur, aut pauperi tribuit elemosynam, aut aliud quodvis sustinet molestiam. De hac penitentia, vel (ut verius dicam) integre penitentiae parte, non est nobis nunc sermo, neque hujus laudes nunc exprimit David, quippe quia non tantum illi meriti. Hae enim penitentia, quae solum exterioris poenae tolerantiam amplectitur, non tantae est virtutis, ut sola ad peccatorum remissionem sufficiat, nec illa est, quae regnum caelorum appropinquare facit. Post sunt enim multi corporis labores, multaque poenae & ærumnae tolerari, constante peccati praeteriti complacencia, aut voto futuri. Hoc enim ipse Dominus per Esaiam Prophetam testatur, qui cum Judaei quaereret & dicerent: *quare jejunavimus, & non aspexisti, humiliavimus animas nostras, & nescisti?* respondit. (*Psal. 58. 3.*) *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitorum vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiet. Et paucis interpositis, tale jejunium damnans, subdit. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem, animam suam? Numquid contorquere quasi circum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? Quibus verbis Deus omnem corporis afflictionem, quam animae virtus non comitatur, damnat, & inutilem esse asserit. Sola enim ventris esurietas, absque aliarum virtutum exercitio, non valet Deum placare, cui solus spiritus contribulatus est acceptabile sacrificium. (*Psal. 50.*) Nam Paulus etiam si tradiderit corpus suum ita ut ardeat, absque Dei charitate, quae est in cordis conscientia, nihil sibi profuturum existimat. (*1. Corinth. 13.*) Hae igitur exterior corporis afflictio, quam vulgus penitentiam dicere solet, ad medicum utilis est, nisi illam cordis compunctio comitetur. Non est ergo haec, quam nunc in presenti Psalmo David sic extollit, ut per illam omnes iniquitates remitti asserat; sed penitentiam, hic dicimus, displicentiam peccati, quam corde concipimus, ex qua tristitia quadam oritur, cor ipsum affligens. Et haec virtus est, quae iustitia merito dici potest, sicut peccatum ipsum dicitur injustitia. Et potest quidem intra iustitiae purgativae alveum concludi: quoniam per hanc, peccator seipsum ob admittum delictum tristitia & merore puniit. Verum ut haec perfecta sit virtus, integram causam adhibere oportet, nam duo alia sunt ibi necessaria, quorum si alterum tollas, virtus non erit, nec alicujus momenti auctoritatis existimabitur. Ab eo enim cui peccatum displicet,*

si peccatum per talem displicentiam sibi condonari optat, exigitur, ut peccati confessionem habeat in voto, & pro illo satisfactionem, ut scilicet confiteri decernat tempore quo ad illud faciendum tenetur, & satisfactionem pro peccato Deo reddere non renuat, hoc est, ut dignas poenae velit luere poenas. Si horum alterum desit, vera non erit displicentia, nec virtus dicenda erit, quo fiet, ut per illam peccata minime remittantur. Quomvis enim propter peccatum admittum deficiat in dolore via alicujus, & anni illius transcant in gemitibus, si tamen peccatum confiteri erubescit, aut satis Deo pro peccato facere renuit, hoc est, dignas pro peccato poenas subire recusat, numquam peccati sui remissionem assequetur. Solet etiam penitentia dici ipsa peccatorum confessio, vel (ut verius dicam) peccatorum in aurem confessoris dictorum absolutio, sed haec Sacramentum est, non virtus, eandem tamen habet vim, & efficaciam sicut prior illa, quam virtutem esse diximus. Quicquid enim ad peccati deletionem & gratiae recipiendae preparationem, & gloriae caelestis apertionem uni-convenit, & alteri. Quapropter indiscrete & absque ullo discrimine deinceps loquemur, cum penitentiae laudes annuntiamus: quod de una dictum fuerit, de alia dictum putato. Utraque ergo penitentia, sive virtus, sive Sacramentum, hanc habet laudem, quod penitentes, qui anie a via caelestis patriae declinantes, tamquam ovis quae perit, errabundi vagabuntur, ad reclamationem beatitudinis viam reducit, quam si tenuerint, ipsam beatitudinem, ad quam omnes tendimus, certissime assequuntur. Quoniam iniquitates omnes, quae illos a recta via abduxerant, per penitentiam remissa sunt. Propter quod Salomon ait: *Livor vulneris abstergit mala, & plaga in secretioribus ventris.* (*Prov. 20.*) Ventris appellatione, mens intelligitur: quia sicut venter consumit escas, ita mens pertractando excoquit curas, & quemadmodum venter escis repletus distenditur, sic mens multis cogitationibus dilata elevatur. Plaga ergo in secretioribus ventris abstergit mala, quia interior cordis compunctio, delet omnem peccatorum malitiam, Deus, qui solo corde offendetur, solo etiam corde placatur. Nihil est enim quod Deum offendere possit, si ex corde non procedit: quoniam id quod voluntarium non est, peccatum censeri non potest. Et hoc ipsum saluator ipse comprobatur, qui apud Matthaeum (*cap. 15.*) ait: *De corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, blasphemiae, falsa testimonia, haec sunt quae coquinaunt hominem.* Quo verborum schemate aperte satis innuit, quae ex corde non exeunt, minime hominis animam coquinaunt, ac proinde Deum non offendere. Cum ergo corde solo Deus offendatur, solo etiam corde placari vult. Decernit enim Deus, ut eodem loco iustitia & poenitentia exerceatur, quo crimen perpetratum est: quia ergo corde percipitur peccatum, cordis poenitentiam, hoc est contritionem Deus requirit, & illa praecipue placatur. Peccator igitur, qui Deum iratum placare cupit, oportet, ut quod prius cordi suo placuit, postea eidem displiceat, & sicut prius letatum est cor ejus, & exultavit in rebus pessimis, ita postmodum letum uni-genitum faciat sibi planctum amarum, & sic fiet, ut quantum glorificavit se & in delictis fuit, tantum tormentum subeat, & tunc plaga, quas in secretioribus mentis suae sustinuit (juxta Salomonis sententiam), absterget mala. Et hoc ipsum in Davide experiri possumus. Hic enim cum ad vocem Nathan Prophetae illum de peccato arguentis dixisset, ex corde: *Peccavi, statim audivit ab eodem Propheta. (2. Reg. 12.) Dominus transiit peccatum tuum.*

ad te. Neque hoc privilegium fuit particularis, ut Davidi penitentia peccatum fuerit dimissum, sed juxta communem legem, quam dulcis & rectus Dominus delinquentibus in via dederat, tunc agere fuit necesse. Universalis namque lex per Ezechielem Prophetam (*cap. 18.*) promulgata, sic ait: *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis quae operatus est, & custodierit omnia praecipia mea, & fecerit iudicium & justitiam, vita vivet, & non morietur. Neque tam reus putanda est haec tam pietissima divinae bonitatis lex, ut a solo Ezechielis tempore ceperit, cum multo sit vetustior, quippe quae post primum hominis admittum peccatum fuerit orta. Nam per hanc penitentiae legem primi parentes sunt consecuti misericordiam, & peccati remissionem. Et per eandem eorum, filius Caim, qui primus humanum sanguinem fudit, habuisset homicidii indulgentiam, si penitentiae remedio fuisset usus. Per hanc legem, & Magdalenae peccata dimittuntur, & Petro abnegationis crimen condonatur. Per eandem Paulus christianorum persecutor, misericordiam est assequutus. Eiusdem legis favore & auxilio, latronis animae, statim ut corporis nexibus fuit soluta, regni caelorum parit introitus. (*Luc. 23.*) Nulli denique vere penitenti, numquam haec penitentiae lex non favit. Nam cum in favore omnium peccatorum statuta fuerit a Deo, oportet ut nulli, qui hujus legis imploraverit beneficium, sit denegatum, nisi adeo impie de Deo sentire non erubescat, ut Deum aut mendacem, aut personarum acceptorem dicere velit. Omni igitur vere penitenti omni tempore semper fuit data peccati remissio. Propter quod statim cum Deus leges populo dare cepit, hanc de peccatorum remissione per penitentiam habenda, inter alia miscuit, sub velamine tamen, & aliarum rerum figuris, prout tunc populo illi carnali loqui consuevit. Nam in Levitico libro de animae peccantis remedio loquens, (*cap. 3.*) ait: *Si peccaverit anima per ignorantiam de populo terra, ut faciat quicquam ex his quae lege Domini prohibentur, atque delinquat, & cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam, ponetque manum super caput hostiae, quae pro peccato est, & immolabit eam in loco holocausti, tolletque Sacerdos de sanguine in digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus. Omnem autem auferens adipem, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino, rogabitque pro eo, & dimittetur ei.* Haec tunc praecipia sunt ad peccatorum remissionem obrinenda, non ut solum litterae corticem apprehenderent, sed ut spiritualiter etiam intelligentiam, quae sub illo cortice laet, perquirent. Nam (ut ait Paulus *2. Corinth. 3.*) *littera occidit, spiritus autem vivificat.* Precemur ergo nos Deum, ut auferat velamen de cordibus nostris, quo claritatem vultus Moysi intueri possumus, & intelligamus, quid intra hujus litterae velamen lateat: quoniam si sit qui intelligat, spirituales hic radios facies Moysi vibrat. Ille ergo qui peccavit, jubetur capram offerre, si peccatum suum agnovit, ex quibus colligimus, illius peccatoris hostiam non esse acceptam, qui peccatum suum non agnoscit. Peccatum suum agnoscere (prout ego existimo) ille solus dicendus est, qui quam noxium ex peccatum, & quam graviter puniendum considerans, illud detestatur. Nam (sicut beatus Joannes ait *1. Joan. 2.*) *qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non servat, mendax est:* ita etiam ille, mea sententia, peccatum suum non agnoscere dicendus est, qui illud, ut decet, non detestatur. Tanta est enim peccati malicia, ut quisquis illum probe intellexerit, statim ab illa resiliat. Is ergo qui postquam*

peccavit intellexerit peccatum suum, id est, peccati sui malitiam cognoverit, & ob hoc illud oderit, offerat capram immaculatam, id est, pro peccato satisfactionem. Quod vero additur immaculatam, ideo dixit, ne sic unum peccatum detestetur, ut aliud habeat in voto, & sic pro uno satisfaciatur, ut aliud perpetrare non erubescat, sic enim unius peccati satisfactio, alterius conjunctione maculatur. Propter quod Sapiens, ait: (*Eccle. 34.*) *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficiet lavatio ejus? Parum namque prodest ab uno & altero abstinere, si postea illa aut alia committat. Immaculata ergo debet esse hostia, quae pro peccato offeratur. Qui vere de peccato penitet, apud seipsum firmissime statueret debet, numquam aliud simile perpetraturum. Hujus sanguinem Sacerdos digito tangere debet, ut fundat super altare, & reliquum sanguinem fundat ad basim altaris. Sanguis hostiae pro peccato, lacrymae sunt peccatoris, & maceratio penitentiae, propter quod David ait: (*Psal. 57.*) *Lacrymabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Corrigitur enim iustus, cum peccatorum rem vidit flagellari. Et Judaei, qui Christi mortem sustinuerant, dicebant: (*Matth. 27.*) *Sanguis ejus super nos.* Ac si dicerent. Hujus peccati poena nobis infligatur. Sanguinem ergo hostiae digito tangit, cum peccatori ad penitentiam cooperatur, illum erudiens, qualiter pro peccatis flere debeat, & illa confiteri non erubescere. Illius sanguinem tangit, cum a peccatis absolvit. Oportet ergo penitentem ad Sacerdotem accedere, vulnera peccatorum per confessionem detegere, coram illo flere, sanguine suo Sacerdos tangatur, & sic penitentem adjuvet, & a peccato absolvat. Sed hujus sanguinis partem super altare, partem super basim altaris debet fundere: quia & hominibus & Deo peccator reconciliari, & homines & Deum sua humilitate penitentia, placare debet. Altare hoc, sancta est Ecclesia, extra quam nulla est vera oblatio, nec munus aliquod quod extra illam offertur, est Deo acceptabile. Hujus altaris basis est Christus, qui omnes non portat verbo virtutis suae, sicut ipse per Esaiam Prophetam promittit, (*cap. 46.*) dicens: *Ego feci, ego serabo, ego portabo & salvabo.* Sanguinem super altare fundere, est iustorum, qui sunt in Ecclesia, orationes petere, & illis reconciliari. Sed quia omnis iustorum oratio sine Christi favore & auxilio, gratiam impetrare non potest, ideo praecipitur, ut sanguinem reliquum fundat ad basim altaris. Quo inuitur, ut post impetrata sanctorum patrocinia, convertat peccatorum gemitum suum ad Deum, coram illo gemat, & spiritus contribulati sacrificium illi offerat, oretque Deum, ut gratiam flendi pro peccatis, atque ut peccata quae commisit, debite confiteri possit, tribuat. Propter quod Sapiens ait: (*Eccle. 17.*) *Precare ante faciem Dei, & minue offensa. Nullus namque digne potest plangere quod male egit, nisi spiritus Christi illum adjuverit. Quid enim nos oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* (*Rom. 8.*) Hujus hostiae adeps igne cremandus est. Adeps, humanam affectionem significat, quae per haec visibilia sparsa est, quae plurimos affectus malos parit. Sed haec igne cremari praecipitur: quia affectus animae, per quos illa carnaliter vivit, ab imperio suo coerceri debent, ut sit in homine unde Deus amari possit. Quibus omnibus sic praecitis, subdit: *Rogabit pro eo Sacerdos, & dimittetur ei.* Rogante Sacerdote, peccatum dimittitur: quia (juxta salvatoris promissa *Joan. 20.*) quorum Sacerdotes remiserint peccata, remissa erunt. Vides illam magnam penitentiae virtutem sub illo*

durissimo litteræ cortice latentem, ut illa interveniente, omnia quamlibet gravia peccata remittantur. Beati igitur poenitentes: quoniam poenitentia meritis omnes illorum iniquitates remittit. Magna ergo poenitentia virtus, quæ si peccatorem in pristinum iustitiam statum sic sæpe restituit, ut nullum præteriti lapsus vestigium maneat, quo sit, ut innocentia merito æquari possit. Propter quod in Ezechiele Propheta, (cap. 44.) per portam ad aquilonem etiam gloria Domini transire dicitur, sicut per portam ad orientem. Omnes qui divinum gratiæ lumen, quod semel hauserunt, conservaverunt, in innocentia persistentes, portam ad orientem habent, per quam Domini gloria ad illos intrat. Qui autem in peccata ruentes frigore malitiæ congelantur, portam ad aquilonem habent, quia illis etiam post peccati frigora regni aditus per misericordiam patet. Porta ergo quæ ad aquilonem est, eadem habere dicitur quæ porta ad orientem: quia multi post poenitentiam sunt adeo boni sicut illi qui à peccatis abstinentes, innocentiam custodierunt. Et quod mirabilis est, multi post lapsum fortiores per poenitentiam surgunt, quam antea fuerant, quia quo magis se cecidisse agnovissent, eo magis surgere conantur. Cum autem cuilibet bene conanti Deus semper porrigat manum suam, sit, ut Deo adjuvante, & peccatore magis annitente, peccator rector & fortior surgat, & cautior postmodum vivat. Unde venit, ut poenitentiam non solum æquetur innocentia, sed illi sæpenumero iure possit præponi. In cuius rei confirmationem illud advertendum est, quod hostia capræ quæ pro peccato offerri iubetur, in eodem loco immolari præcipitur, in quo holocaustum, hoc est in introitu tabernaculi, cum tamen ovis pacificorum, quæ innocentiam designat, non in introitu tabernaculi, sed longe, puta in vestibulo, jubebatur immolari. Quod non ob aliam causam dictum esse putandum est, nisi quia sæpenumero poenitentia longo intervallo excedit innocentiam, ita (ut juxta Pauli sententiam Rom. 5.) ubi abundavit delictum, superabundet postea gratia. Credo firmiter meliorem fuisse David post peccati poenitentiam, quam ante peccatum. Non dubito Petrum firmiter dilexisse Dominum postquam egressus foras levit amare, quam ante negationem illum dilexerat. Quis dubitat Magdalene vitam post lachrymas in domo Simonis fufas multo excellentiorem & majoris meriti fuisse, quam ante unquam fuerat. Nec opus est longum catalogum texere, cum quotidie videamus multos, qui à statu iustitiæ miserabiliter lapsi, fructuosa postmodum succedente poenitentia, primam meritorum gratiam transcendunt. Sæpe enim contingit, ut aliquis ab hostibus circumdatus parum conetur & tepide, pro sui defensione, eo quod securum se putat, nec hostes suos timet, si tamen in hostium potestatem venerit omnes exerceret vires, nullum non moveret lapidem, nihil intentatum relinquit, ut ab hostibus eripiat, ereptus postea si contingat oppugnari, fortius resistit, & cautius aget. Ad eundem modum evenit in multis, qui post poenitentiam fortiores surgunt & cautiores, quam antea fuerant. In quibus nulli dubium, quin illorum poenitentia innocentia eorumdem sit merito præferenda. Cum ergo tanta sit poenitentia virtus, tot testimoniis & experientis comprobata, quisquis se peccasse meminit, ad poenitentia remedium confugiat, quam nullum est tam grave peccatum, neque tanta peccatorum multitudo, cui illa subvenire non possit, peccatorum impetrans remissionem. Qua data, statim regni cœlestis aditus patet per merita Jesu Christi filii Dei, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

Et quorum tecta sunt peccata.

Explicita poenitentia virtute, quam tantam esse diximus, ut ipsius meritis, quamlibet grave peccatum, quamlibet etiam numero sunt remittatur, nunc vero poenitentia radicem, videlicet charitatem, à qua omnis poenitentia virtus procedit, Propheta explicat, dicens illos esse beatos, quorum tecta sunt peccata. Non sunt enim remissa iniquitates, quæ non sunt tecta. Teguntur autem per charitatem, sicut beatus Petrus ait: (1. Pet. 4.) Charitas operit multitudinem peccatorum. Operit quidem velut vestis, quæ si corpus aliquid ulceribus plenum texerit, efficiet, ut vulnera illius non videantur ab aliis: ita charitas, si animæ peccatis vulnerata infundatur, omnia illius vulnera teget, ut jam non videantur à Deo, quæ omnia novit. Sicut enim ipsemet Deus nescire se dicit malos propterea quod illis præmia æterna donare non statuit, ita etiam merito dicemus illum nescire mala, quæ superveniente charitate teguntur, eo quod illis æternam poenam jam non decernit injungere. Nullum est enim malum aut bonum adeo secretum, ut illi Deus poenam aut præmium non decernat. Malum ergo, cui à Deo iusta non decernitur poena, ab illo (juxta hunc locutionis modum) ignoratum esse convincitur. Nam alias nihil est, quod illum latere possit. Quid poterit occultatum esse illi, cujus oculi contemplantur bonos & malos, & cujus oculis (ut ait Paulus Hebr. 9.) omnia aperta sunt? Videt ergo Deus mala, quorum poenitentur eorum auctores, non tamen sic ea videt, ut illis poenam æternam indigere statuatur, quia charitas superveniens obstat, ne sic à Deo videantur. Charitas, quæ se oculis divinis objicit quo minus Deus peccata videat, hæc est, quæ peccata tegere dicitur, & ab hac omnem suam virtutem peccatorum poenitentia capit, ut illius meritis peccata remittantur. Nec solum poenitentia, sed quodvis aliud bonum, ut absolute bonum, hoc est vitæ æternæ meritum dici possit, à charitate habet. Hac enim seclusa, nihil est quod vitæ æternæ, dignum dici possit. Hæc est, quæ cuilibet bono operi tribuit virtutis perfectionem. Omne igitur quod vere bonum esse debet, charitate perfici oportet. Nam in magifico illo Salomonis templo nil erat quod non auro tegetur. Templum Dei (ut ait Paulus 1. Corinth. 3.) sanctum est, quod estis vos. Verum hoc templum, & si in aliis quamlibet pretiosis virtutibus construat, charitatis tamen tegumento deficiente, indignum tanto habitatore iudicabitur. Tegit ergo omnia charitas, sive bona illa sint, sive mala. Bona tegit, quia illis tribuit exactam virtutis perfectionem, & ultimam bonitatis complementum. Mala tegit, quia illa ne à Deo videri possint, operit, sicut operit, ut illa sola absque ullo expresso peccatorum dolore valeat ad peccatorum remissionem obtinendam. Si quis enim peccator, maximis etiam criminibus obvolutus, à tyranno aliquo tormentis urgeretur ut fidem negaret, & ille constanti animo fidem teneret, & tormenta omnia, omnes cruciatus, mortem denique pro Dei amore contemnens, patientissime toleraret, nullus dubitat, hujus mortem fore in conspectu Domini pretiosam, etiam si tormentis tunc cogenitis peccatorum suorum minime recordatus, nullum propter illa mente concepisset dolorem. Ille quidem peccatorum poenitudinem in virtute & radice habuisse dicitur, qui charitatem habuit, quæ est veræ poenitentia.

rentia radix. Si autem vice versa peccatorum poeniteret, nec tamen charitate aut stimulante aut cogente id faceret, nihil illi ad salutem hujusmodi poenitentia valeret. Et hæc est una ex potissimis causis propter quam illis qui sunt in inferno nunquam peccata remittentur, quamvis Salomone teste, (Sapi. 5.) propter delicta perpetrata gemant, & illorum poenitentia: quoniam ut id faciant, non illos charitas impellit ut comitatur, sed solum poenarum odium, & sui ipsorum amor. Ex his ergo omnibus colligimus, solam charitatem esse, quæ tanti poenitentiam facit, ut illius meritis peccata remittantur. Hinc est quod Christus Servator noster, cum mulieri peccatrici peccata condonavit, ait: (Luc. 8.) Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Non dixit, quia multum doluit, aut quia multum lachrymata est, aut quia oleo caput meum unxit, aut quia pedes meos lachrymis suis rigavit & capillis terxit: quoniam omnia illa & alia multo duriora, seclusa charitate, non valent ad remissionem peccatorum; sed dixit, quoniam dilexit multum, ut videlicet omnem poenitentia virtutem ex Dei amore pendere innueret. Et propter hanc causam Propheta (ut ego existimo) postquam poenitentia virtutem explicaverat, dicens beatos esse illos, quorum remissa sunt iniquitates, statim causam & originem illius remissionis aperuit esse charitatem dicens, & quorum tecta sunt peccata. Tegit autem (ut diximus) sola charitas. Non enim sentio cum illis, qui aliud putant intelligi per iniquitates, & aliud per peccata, ita ut iniquitates referant ad ea, quæ per baptismum diluuntur, peccata vero, ad illa, quæ post baptismum commissa per poenitentiam remittuntur. Mihi vero (cum bona illorum venia) ea probatur sententia, ut hæc posterior versiculi pars non aliud quid à priori significet, sed sit quasi prioris partis interpretatio, juxta quem loquendi modum sunt in Psalmis Davidicis multa. Et, ut unum aut alterum è multis profertur, illud est apertissimum, quod in Psalmo quinquagesimo dicitur: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Nam ideo peccatum se cognoscere ait, quia illud semper ob oculos suos obversabatur. Vix enim fieri potest, ut quis, nisi cæcus ille sit, non videat illud, quod semper est coram oculis suis. Et illud est apertissimum, quod in (Psal. 101.) ait: Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de celo in terram aspexit. Quid sit prospicere de excelso sancto, exposuit per id quod subdidit. Dominus de celo in terram aspexit. Et in (Psal. 69.) Deus tu scis insipientiam meam. Quam sententiam repetens subdidit: Et delicta mea à te non sunt abscondita. Ad hunc modum ego nunc Davidem fecisse censo, qui postquam dixerat illos esse beatos, quorum remissa sunt iniquitates, statim ipsius remissionis principem causam explicuit, sic inquit. Et quorum tecta sunt peccata. Quibus verbis, charitatem, quæ sola tegere valet peccata, significavit, docens illam esse, à qua omnem suum vigorem vera poenitentia sumit. Verum hic admonendum censui, ut nullus putet sic ad veram poenitentiam esse necessariam charitatem, ut si aliunde, puta ex timore mortis, aut ex metu iustissimi iudicis, aut ex odio poenarum inferni, aut alia quavis simili causa inchoetur, malam illam esse credat, aut quæ utilis & fructuosa esse non possit. Absit à Christi fidelibus hæc sententia: quam sacræ litteræ, & sanctorum omnium concors sententia damnant. Nam hæc inter Lutheri impietates & venenosa dogmata numeratur. Si enim peccatorum poenitudo, quæ à timore servilis inchoatur, bona esse non posset, nunquam Christus Servator noster per talem timorem peccato-

res ad poenitentiam hortaretur, ac sæpissime hunc timorem, peccatorum cordibus incusit, ut vel timore cogente male actorum poenitentes, bene sibi in posterum confulerent. Nisi poenitentiam (inquit ille Luc. 13.) egeritis, omnes simul peribitis. Et cum de ultimo illo & digne timendo iudicio disputasset, dicens illius diem esse incertum, statim subdidit. (Matth. 24.) Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et in parabola de cœna, ad quam cum invitati recusarent venire, ait Dominus servo. (Luc. 14.) Exi in vias & sepes, & compelle eos intrare, ut impleatur domus mea. At quis non videt compulsionem fieri, non tractu suavi, sed per quandam quasi vim & violentiam, & tamen sic compulsi, intrant domum Dei, & implent illam. Et præcursor illius Joannes Baptista, cum peccatores ad poenitentiam hortatur, iram Domini illis futuram, ni id fecerint, docet, ut timore urgente, discant à peccatis cavere, & propter jam commissa dolere, sic enim ait: (Luc. 3.) Genimina viperarum, quis ostendit, vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentia. Et paucis interjunctis, poenas inferni minatur illis, qui non egerint poenitentiam, sic inquit: Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem miseretur. Si mala esset peccatorum poenitudo, quæ à timore mortis & gehennæ inchoatur, nunquam Saluator noster, aut illius præcursor peccatores ad illam hortaretur. Deinde parabola illa apud Mathæum (cap. 18.) de Rege subducente rationem cum servis suis, & debita ab uno servorum exigente, apertissime docet talem contritionem peccatorum, quæ à gehennæ odio oritur, esse bonam, & fructuosam, & ad peccatorum remissionem obtinendam sufficientem. Nam servus ille, decem millium talentorum debitor, qui eo quod solvendo non erat, justus est vendi, hoc est, dæmonibus ad torquendum tradit, horrore & odio poenarum, quibus illum Rex destinabat, preces ad Dominum fudit, humiliter pro sola debiti prorogatione supplicans, cui Rex pro sua benignitate & magnificencia, non solum quam petiit dilationem, sed totius debiti remissionem indulgit, quæ rata permanisset, si ille iam impendisset conservo misericordiam, quam se à Domino accepisse meminerat. Non est ergo mala poenitentia, quæ à timore etiam servili inchoatur. Verum & si hujusmodi poenitentia, quæ ex timore gehennæ & horrore poenarum oritur, mala non sit, bona tamen nunquam erit, nisi ultra progrediatur, ut scilicet ex timore procedat in amorem, ita, ut quod timore inchoatum est, amore postmodum perficiatur. Nam hæc est timoris servilis virtus & bonitas, quod amorem inducere potest, velut acus filum. Nam de hoc timore testatur Propheta, (Psal. 110.) illum esse initium sapientiæ, illius (inquam) sapientiæ, de qua Sapiens ait: Dilectio Dei honorabilis sapientiæ. Fieri enim potest, ut quis ex odio poenarum procedat ad cognitionem peccatorum, considerans & perpendens quanta sit peccati malitia, cui tot tantæque parantur poenæ. Nam (ut est apud Esaiam: cap. 28.) vexatio dat intellectum. Deinde ex cognitione peccati, convertit se ad cognitionem virtutis, & quanta sit merces illi à Deo parata, considerat, & inde ad Deum pervenit, illius iustitiam contemplanus: qui ut malis poenam, ita bonis præmia magna tribuit, & propter hoc illum amat. Et inde iterum convertit se ad peccati considerationem, per quod agnoscat se Deum offendisse. Tunc igitur peccati nequitia exacte considerata odit illud, non solum ratione poenarum, quæ propter illud infligendæ sunt, nisi poeniteat, sed quia malum, quia virtuti contrarium,

HOMILIA

72
 beatitudine consequenda impedebant, penitentiā interveniente, remissa sunt. Beati igitur penitentes: quoniam viam apertissimam & rectissimam ad beatitudinem assequendam ingressi sunt. Nam via ipsa ad beatitudinem, in sacris litteris frequentissime nominatur beatitudo. Non enim ob aliam causam beatus dicitur qui timet Dominum, quia quia via certissima ad beatitudinem est timor Dei. (Psal. 111.) Ob eandem causam qui perfectionem patiuntur propter iustitiam, dicuntur beati. Quoniam (ut ait Apostolus 2. Tim. 3.) omnes qui pie volunt vivere cum Christo, persecutionem patiuntur. Ob hanc etiam causam beati dicuntur, quorum remissa sunt iniquitates: quoniam adeo certam beatitudinis viam sunt assequuti, ut si ab ea non deslexerint, de beatitudine assequenda sint securi. Magna ergo iure censenda est hęc penitentię virtus, quod illa interveniente, peccata remittuntur, & paradisi portę, quas nobis peccata occluserant, patefiunt. Penitentiam hic dicimus, non cuiuslibet penę tolerantiam, prout vulgus dicere solet, qui tunc aliquem penitentiam agere censeat, cum jejurat, aut orat, aut peregre proficiscitur, aut pauperi tribuit elemosynam, aut aliud quodvis sustinet molestiam. De hac penitentiā, vel (ut verius dicam) integrę penitentię parte, non est nobis nunc sermo, neque huius laudes nunc exprimit David, quippe quia non tanti est meriti. Hęc enim penitentiā, quę solum exterioris penę tolerantiam amplectitur, non tantę est virtutis, ut sola ad peccatorum remissionem sufficiat, neque illa est, quę regnum cęlorum appropinquare facit. Post sunt enim multi corporis labores, multaque penę & ærumnę tolerari, constante peccati præteriti complacentia, aut voto futuri. Hoc enim ipse Dominus per Esaiam Prophetam testatur, qui cum Judęi quaerent & dicerent: *quare jejunavimus, & non aspexisti, humiliavimus animas nostras, & neficisti?* respondit. (Psal. 58. 3.) *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitorum vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impię. Et paucis interpositis, tale jejunium damnans, subdit. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem, animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino?* Quibus verbis Deus omnem corporis afflictionem, quam animę virtus non comitatur, damnat, & inutilem esse asserit. Sola enim ventris esuritię, absque aliarum virtutum exercitio, non valet Deum placare, cui solus spiritus contribulatus est acceptabile sacrificium. (Psal. 50.) Nam Paulus etiam, si tradiderit corpus suum ita ut ardeat, absque Dei charitate, quę est in cordis conscientia, nihil sibi profuturum existimat. (1. Corinth. 13.) Hęc igitur exterior corporis afflictio, quam vulgus penitentiam dicere solet, ad medicum utilis est, nisi illam cordis compunctio comiteretur. Non est ergo hęc, quam nunc in presenti Psalmo David sic extollit, ut per illam omnes iniquitates remitti asserat; sed penitentiam, hic dicimus, displicentiam peccati, quam corde concipimus, ex qua tristitia quadam oritur, cor ipsum affligens. Et hęc virtus est, quę iustitię merito dici potest, sicut peccatum ipsum dicitur iniustitia. Et potest quidem intra iustitię purgatię alveum concludi: quoniam per hanc, peccator seipsum ob admittum delictum tristitia & merore punit. Verum ut hęc perfecta sit virtus, integram causam adhibere oportet, nam duo alia sunt ibi necessaria, quorum si alterum tollas, virtus non erit, nec alicujus momenti autorboris existimabitur. Ab eo enim cui peccatum displicet,

si peccatum per talem displicentiam sibi condonari optat, exigitur, ut peccati confessionem habeat in voto, & pro illo satisfactionem, ut scilicet confiteri decernat tempore quo ad illud faciendum tenetur, & satisfactionem pro peccato Deo reddere non renuat, hoc est, ut dignas poenę velit luere poenę. Si horum alterum desit, vera non erit displicentia, nec virtus dicenda erit, quo fiet, ut per illam peccata minime remittantur. Quomvis enim propter peccatum admittum deficiat in dolore via alicujus, & anni illius transcant in gemitibus, si tamen peccatum confiteri erubescit, aut satis Deo pro peccato facere renuit, hoc est, dignas pro peccato poenę subire recusat, numquam peccati sui remissionem assequetur. Solet etiam penitentia dici ipsa peccatorum confessio, vel (ut verius dicam) peccatorum in arem confessoris dictionum absolutio, sed hęc Sacramentum est, non virtus, eandem tamen habet vim, & efficaciam sicut prior illa, quam virtutem esse diximus. Quicquid enim ad peccati deletionem & gratię recipiendę preparationem, & glorię cęlestis apertionem uni-convenit, & alteri. Quapropter indistincte & absque ullo discrimine deinceps loquemur, cum penitentię laudes annuntiabimus: quod de una dictum fuerit, de alia dictum putato. Utraque ergo penitentia, siue virtus, siue Sacramentum, hanc habet laudem, quod penitentes, qui ante a via cęlestis patrię declinantes, tamquam ovis quę perit, errabundi vagabuntur, ad reclam beatitudinis viam reducit, quam si tenuerint, ipsam beatitudinem, ad quam omnes tendimus, certissime assequuntur. Quoniam iniquitates omnes, quę illos a recta via abduxerant, per penitentiam remissa sunt. Propter quod Salomon ait: *Livor vulneris abstergit mala, & plaga in secretioribus ventris.* (Prov. 20.) Ventris appellatiōne, mens intelligitur: quia sicut venter consumit escas, ita mens pertractando excoquit curas, & quemadmodum venter escis repletus distenditur, sic mens multis cogitationibus dilata elevatur. Plagę ergo in secretioribus ventris abstergunt mala, quia interior cordis compunctio, delet omnem peccatorum malitiam, Deus, qui solo corde offendentur, solo etiam corde placatur. Nihil est enim quod Deum offendere possit, si ex corde non procedit: quoniam id quod voluntarium non est, peccatum censei non potest. Et hoc ipsum salvator ipse comprobat, qui apud Matthæum (cap. 15.) ait: *De corde exeunt cogitationes malę, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, blasphemie, falsa testimonia, hæc sunt quę coinquinant hominem.* Quo verborum schemate aperte satis innuit, quę ex corde non exeunt, minime hominis animam coinquinare, ac proinde Deum non offendere. Cum ergo corde solo Deus offendatur, solo etiam corde placari vult. Decernit enim Deus, ut eodem loco iustitia & purgatio exerceatur, quo crimen perpetratum est: quia ergo corde precipue peccatur, cordis purgationem, hoc est contritionem Deus requirit, & illa præcipue placatur. Peccator igitur, qui Deum iratum placare cupit, oportet, ut quod prius cordi suo placuit, postea eidem displiceat, & sicut prius letatum est cor ejus, & exultavit in rebus pessimis, ita postmodum lætum unigeniti faciat sibi planctum amarum, & sic fiet, ut quantum glorificavit se & in delictis fuit, tantum tormentum subeat, & tunc plagę, quas in secretioribus mentis suę sustinuit (juxta Salomonis sententiam) abstergent mala. Et hoc ipsum in Davide experiri possumus. Hic enim cum ad vocem Nathan Prophetę illum de peccato arguentis dixisset ex corde: *Peccavi, statim audivit ab eodem Propheta. (2. Reg. 12.) Dominus transtulit peccatum tuum.*

73
 Neque hoc privilegii fuit particularis, ut Davidi penitentia peccatum fuerit dimissum, sed juxta communem legem, quam dulcis & rectus Dominus delinquentibus in via dederat, tunc agere fuit necesse. Universalis namque lex per Ezechielem Prophetam (cap. 18.) promulgata, sic ait: *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis quę operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita vivet, & non morietur.* Neque tam relex putanda est hæc tam pietissima diviniæ bonitatis lex, ut a solo Ezechielis tempore ceperit, cum multo sit vetustior, quippe quę post primum hominis admittum peccatum fuerit orta. Nam per hanc penitentię legem primi parentes sunt consecuti misericordiam, & peccati remissionem. Et per eandem eorum, filius Caim, qui primus humanum sanguinem fudit, habuisset homicidii indulgentiam, si penitentię remedio fuisset usus. Per hanc legem, & Magdalenę peccata dimittuntur, & Petro abnegationis crimen condonatur. Per eandem Paulus christianorum persecutor, misericordiam est assequutus. Ejusdem legis favore & auxilio, latronis animę, statim ut corporis nexibus fuit soluta, regni cęlorum parit introitus. (Luc. 23.) Nulli denique vere penitentię, numquam hæc penitentię lex non favit. Nam cum in favore omnium peccatorum statuta fuerit a Deo, oportet ut nulli, qui huius legis imploraverit beneficium, sit denegatum, nisi adeo impie de Deo sentire non erubescat, ut Deum aut mendacem, aut personarum acceptatorem dicere velit. Omni igitur vere penitenti omni tempore semper fuit data peccati remissio. Propter quod statim cum Deus leges populo dare cepit, hanc de peccatorum remissione per penitentiam habenda, inter alia miscuit, velamine tamen, & aliarum rerum figuris, prout tunc populo illi carnali loqui consuevit. Nam in Levitico libro de animę peccantis remedio loquens, (cap. 3.) ait: *Si peccaverit anima per ignorantiam de populo terra, ut faciat quicquam ex his quę lege Domini prohibentur, atque delinquat, & cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam, ponetque manum super caput hostię, quę pro peccato est, & immolabit eam in loco holocausti, tolletque Sacerdos de sanguine in digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus. Omnem autem auferens adipem, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino, rogabitque pro eo, & dimittetur ei.* Hęc tunc præcepta sunt ad peccatorum remissionem obrindam, non ut solum litterę corticem apprehenderent, sed ut spirituales etiam intelligentiam, quę sub illo cortice laet, perquirerent. Nam (ut ait Paulus 2. Corinth. 3.) *littera occidit, spiritus autem vivificat.* Precemur ergo nos Deum, ut auferat velamen de cordibus nostris, quo claritatem vultus Moysi intueri velimus, & intelligamus, quid intra huius litterę velamen lateat: quoniam si sit qui intelligat, spirituales hic radios facies Moysi vibrat. Ille ergo qui peccavit, jubetur capram offerre, si peccatum suum agnovit, ex quibus colligimus, illius peccatoris hostiam non esse acceptam, qui peccatum suum non agnovit. Peccatum suum agnoscere (prout ego existimo) ille solus dicendus est, qui quam noxiū ex peccatum, & quam graviter puniendum considerans, illud detestatur. Nam (sicut beatus Joannes ait 1. Joan. 2.) *qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non servat, mendax est:* ita etiam ille, mea sententia, peccatum suum non agnoscere dicendus est, qui illud, ut decet, non detestat. Tanta est enim peccati malitia, ut quisquis illam probe intellexerit, statim ab illa refliat. Is ergo qui postquam

peccavit intellexerit peccatum suum, id est, peccati sui malitiam cognoverit, & ob hoc illud oderit, offerat capram immaculatam, id est, pro peccato satisfactionem. Quod vero additur immaculatam, ideo dicitur, ne sic unum peccatum detestetur, ut aliud habeat in voto, & sic pro uno satisfaciatur, ut aliud perperare non erubescat, sic enim unius peccati satisfactio, alterius conjunctione maculatur. Propter quod Sapiens, ait: (Eccle. 34. *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficiet lavatio ejus?* Parum namque prodest ab uno & altero abstinere, si postea illa aut alia committat. Immaculata ergo debet esse hostia, quę pro peccato offertur. Qui vere de peccato penitet, apud seipsum firmissime statueret debet, numquam aliud simile perpetraturum. Huius sanguinem Sacerdos digito tangere debet, ut fundat super altare, & reliquum sanguinem fundat ad basim altaris. Sanguis hostię pro peccato, lacrymę sunt peccatoris, & maceratio penitentię, propter quod David ait: (Psal. 57.) *Lacrymabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Corrigitur enim iustus, cum peccatorum viderit flagellari. Et Judęi, qui Christi mortem susceperant, dicebant: (Matth. 27.) *Sanguis ejus super nos.* Ac si dicerent. Huius peccati poenā nobis infligatur. Sanguinem ergo hostię digito tangit, cum peccator ad penitentiam cooperatur, illum erudiens, qualiter pro peccatis flere debeat, & illa confiteri non erubescere. Illius sanguinem tangit, cum a peccatis absolvit. Oportet ergo penitentem ad Sacerdotem accedere, vulnera peccatorum per confessionem detegere, coram illo flere, sanguine suo Sacerdos tangat, & sic penitentem adjuvet, & a peccato absolvat. Sed huius sanguinis partem super altare, partem super basim altaris debet fundere: quia & hominibus & Deo peccator reconciliari, & homines & Deum sua humilitate penitentia, placare debet. Altare hoc, sancta est Ecclesia, extra quam nulla est vera oblatio, nec munus aliquod quod extra illam offertur, est Deo acceptabile. Huius altaris basis est Christus, qui omnes non portat verbo virtutis suę, sicut ipse per Esaiam Prophetam promittit, (cap. 46.) dicens: *Ego feci, ego serabo, ego portabo & salvabo.* Sanguinem super altare fundere, est iustorum, qui sunt in Ecclesia, orationes petere, & illis reconciliari. Sed quia omnis iustorum oratio sine Christi favore & auxilio, gratiam impetrare non potest, ideo præcipitur, ut sanguinem reliquum fundat ad basim altaris. Quo inuitur, ut post impetrata sanctorum patrocinia, convertat peccatorum gemitum suum ad Deum, coram illo gemat, & spiritus contribulati sacrificium illi offerat, oretque Deum, ut gratiam flendi pro peccatis, atque ut peccata quę commisit, debite confiteri possit, tribuat. Propter quod Sapiens ait: (Eccle. 17.) *Precare ante faciem Dei, & minue offendacula.* Nullus namque digne potest plangere quod male egit, nisi spiritus Christi illum adjuverit. *Quid enim nos oremus sicut oportet, neficimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* (Rom. 8.) Huius hostię adeps igne cremandus est. Adeps, humanam affectio-nem significat, quę per hæc visibilia sparsa est, quę plurimos affectus malos parit. Sed hæc igne cremari præcipitur: quia affectus anime, per quos illa carnaliter vivit, ab impero suo coerceri debent, ut sit in homine unde Deus amari possit. Quibus omnibus sic peractis, subdit: *Rogabit pro eo Sacerdos, & dimittetur ei.* Rogante Sacerdote, peccatum dimittitur: quia (juxta salvatoris promissa Joan. 20.) quorum Sacerdotes remiserint peccata, remissa erunt. Vides illam magnam penitentię virtutem sub illo

sura. Edocti sunt etiam peccatores, quo affectu, qui etiam reverentia Deum alloqui debeant, cum illum pro suorum venia peccatorum precantur. Hunc Psalmum ut viva illum voce ad populum fueram interpretatus, evestigio excudendum tradidi. Proximo deinde anno Psalmum trigessimimum, qui inter penitentiales statio semper & fixo ordine secundus locatur, exponendum suscepi, in quo peccatores sic ad penitentiam David hortatur, ut cogere videatur. Nihil enim in illo solo intentum reliquit, quod ad penitentiam persuasionem, quovis modo conducere possit. Hinc premissis allicit, beatitudinem penitentibus promittens, illic minis arget, multa docens esse peccatoribus parata flagella. Nunc penitentiam ab utilitate, quam multiplicem & magnam esse docet, commendat. Nunc a necessitate illam laudat, ne quis aliud sibi parere suffragium peccator existimet. Nunc ab illius facilitate eam extollit, ne improbam forte illius difficultatem peccator causatus, excusare se merito possit. Neque vero persuasionis partes suscipiens, penitentiam qualitates fuisse obliuiscere docet. Sicut enim hortatur, ut qualem oportet esse penitentiam, doceat. Sic rursus docet, ut animum ad penitentiam ultro agendam impellat. Verum enim hunc Psalmum, omnium quæ ad penitentiam spectant, utilissimum & copiosiori doctrina referentissimum esse experimentum didiceram, aliquibus tamen aliis non minus utilis negotiis distractus, mala etiam valitudine impeditus, quæ ad populum dixeram, scribere statim non potui. Amicis autem pluribus deinde rogantibus, aliis etiam arguentibus, ne talentum mihi datum absconderem, coactus fui illorum quæ ad populum dixeram, memoriam refrigerare, & illa omnia in ordinem redigere, ut chalcographis in omnium usum traderentur. Ut autem Homilias quas super hunc Psalmum edideram, ad umbilicum perdoxi, illas tibi dicere decrevi, ut germanus Psalmus, germanum protectorem haberet. Psalmum siquidem quinquagesimum. Portugallie Regi obtuleram: ut cum Davidem Regem alioqui benignum & justum, pro atrocibus suis sceleribus Deum orasse audiret, intelligeret non esse nunquam de statu suo vana securitate sibi blandiendum, sed provida semper circumspicione cavendum, ne dum magis forte se stare lætaretur, in pessima quæque vitia per focordiam & superbiam laboraret, ut etiam vel ex eo diceret Rex, qua benignitate & elementia subiectum sibi populum Regere illum oporteat, cum toties Deum suis peccatis exasperasse, & divina se egere misericordia intellexerit. Cui igitur Psalmum hunc nuncupare nisi tibi Illustrissime Princeps, qui Serenissimi Regis tam ex frater, ut non tam ovum ovo simile credatur, quam tu in Regis illius moribus exprimens similis es illi. Multa siquidem tibi cum illo conveniunt. Pius erga Deum affectus, benigna atque humana cum subditis conversatio, iudicii rectitudo, sacrarum litterarum ardens amor, fervens zelus erga fidem catholicam. Diligentissima denique populi vobis commissi administratione. Ille enim sui regni gubernationi sic incumbit, ut nulla sit vel minima res ad regni sui administrationem spectans, quæ illo inconsulto dispenfetur. Qua in re ab aliis plerisque regibus est longe diversissimus: qui ut à se omnem profusum laborem rejiciant, omnia per ministros decernunt. Tu vero tanto majori cura & diligentia id agis, quanto optime intelligis majorem esse Episcopi quam Regis obligationem, duriorremque à te, quam ab illo esse exigendam rationem. Vigilas quidem super gregem tuum tamquam redditurus Deo rationem pro illo. Animam tuam ad instar Christi Salvatoris nostri, verique nostrarum ani-

marum pastoris pro ovibus tuis ponis, cum omnes tuos cogitatus, omnes tuos affectus omnes denique vires tuas huic impendis negotio, ut vel unam ex ovibus tibi commissis non perdas. Neque enim tu ex illorum numero es, qui non ut prosint, sed ut præsent, Episcopi sunt, & ad hoc solum pastoris officium suscipiunt, ut ovium ubera premant, & vellera tondant, non ut pascant, aut à lupis defendant. Tu siquidem estis Regis filius regisque frater, Episcopi onera sibi non reculas, & illius partes, quæ multæ & laboriosæ sunt, (ut aliis multo te inferioribus sæpe contingit) exequi non dedignaris. Quanta autem sollicitudine illas partes, ne fame verbi Dei intereat, testis est schola Bracharenfis, quam tuis sumptibus erexit, ut per illam densissima, quæ olim invaluerant illic tenebræ, prodigenter restes sunt etiam quamplurimi viri docti, quos tuis stipendiis, itaque largissimis, in hoc officium alis. Unde evenit, ut quemadmodum celum nubes, ita tu virorum eruditorem gregem ad te trahas. Et merito quidem: quoniam si solis verbis, ut plerisque mos est, viris doctis faveres, multi ad te veluti ad quoddam miserum refugium confugerent, ut tuo favore vel aspirare liceret: tanta est (proh dolor) virorum doctorum abjectio, præsertim eorum, qui se divinis manciparunt litteris, quibus alendis & fovendis rarus hodie invenitur Mæcenas. Verum cum non solis verbis favetas, sed quæ tua est munificentia, muneribus largissimis allicias, largioribus foveas, dignum quidem est, ut in te viri docti confluant, & ad te velut ad ratissimum placidissimumque portum confugiant.

Munera crede mihi capiunt hominesque deosque Placatur donis Jupiter ipse datus. Quid sapiens faciet? stultus quoque munera gaudet. Ipse quoque accepto munera mitis erit. (Ovidius *Libro 3. de arte.*) Merito igitur cum Apostolis suis, in quorum nunc locum es subrogatus, piscatorem animarum te Deus esse statuit: qui sic viros doctos inescare nosti, ut rarus sit, qui tuis laqueis non libenter capiatur. Tibi igitur Serenissime Princeps veluti unico Theologorum præsidio, his viginti quatuor Homiliis, quas super Psalmum trigessimimum Salmantice ad populum habui, dicandas censui: quas pro tuo illo vere regio animo gratas spero accipies. Neque asperraberis, scio, exiguum munusculum, sed mitentis animum tibi longe deditissimum æstimabis, sicut Xerxes ille potentissimus Rex, qui aquam manibus hausit à rustico libenter accepit, & Christus Xerxe illo, immo regibus omnibus superior, pauperculæ viduæ nummulos omnibus omnium divinum oblationibus antetulit. Quod hoc si tibi placuisse intellexero, obligatam me hac ratione efficias, ut majores & meliores operas, quas jam parturio, tibi offeram. Vale virorum doctorum unicuique præsidium & totius Hispaniæ decus. Ex Salmantica, sexto calendas Julii. Anno Domini. M. D. XL.

TITULUS PSALMI XXXII.

Intellectus David, vel secundum aliam translationem, Davidi intelligentia.

HOMILIA PRIMA.

TAM immensa est divina bonitatis fecunditas, ut non solum ex bonis bona, sed ex malis, quæ illo permittente plurima subinde fieri contingit, bona semper elicere velit. Nam Deus omnipotens, cui rerum est summa potestas, ut Augustini verbis utar, cum summe bonus sit, nullo modo sineret mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut beneficeret etiam de malo. Non quidem, quod malis ipsis virtutum & potestatem ad bonum aliquid producendum Deus tribuerit, nam hoc sentire, summe dementiæ esset: quoniam (ut ipsam veritatem ait *Math. 7.*) *arbor mala non potest fructus bonos facere: sed, quod illa ex se facere non queant, Deus pro sua immensa bonitate ex illis occasione capta, elicit, cum bona facit, quæ nisi mala præcelsissent, non fuisset facturus. Mala quidem sunt primi hominis inobedientiæ & divini præcepti transgressio, sed hæc, Deo auctore, in maximum celsit bonum, cum ad hominis redemptionem, qui propter peccatum à demone captivus tenebatur, Deus homo fieri, & pro hominibus mori dignatus est. At si homo non peccasset, quamvis juxta quorundam sententiam, Deus homo nihilominus fieret, numquam tamen mortem gustasset. Nulla etiam lingua dicere, nullusque intellectus capere sufficit, quale quantumque peccatum commiserint, qui agnum innocentissimum absque omni macula, Deificiter & hominis filium, tam crudeliter, & tam turpiter interfecerunt. Sed hanc cædem, quæ gravissimo Judæorum scelere commissa est, Deus in nostram, hoc est totius humani generis utilitatem convertit, cum per illius mortem omnium delicta condonavit, & omnibus, regni celestis introitum patefecit: quæ omnia nisi Christi morte intercedente, nullas assequi potuisset. Nam (ut egregie Apostolus docet *Hebr. 9.*) sine sanguinis effusione, non fit remissio, neque sine sanguine Sacerdos in secundum intrabat tabernaculum. Et ideo Christus assidens Pontifex, per proprium sanguinem introivit semel in sancta, in omnibus nobis in posterum patentem accessum reliqueret. Nullum denique à quovis homine malum committitur, quod Deus pro sua erga nos immensa pietate, non vertat in aliquam, aut illius qui commisit, aut aliorum utilitatem. Propter quod mihi recte Moyses dixisse videtur, cum de Deo loquens, ait (*Deuter. 32.*) *Qui fugit mel de petra.* Nam petra nomine, eo quod sterilis illa sit & ponderosa, peccatum non immerito significari potest. Mel autem cum dulce sit, bonum quodlibet designare potest: quoniam nihil virtute & bonitate dulcius esse potest. Tunc ergo Deus mel de petra fugit, cum ex malis quamlibet gravibus quæ homines committunt, bona aliqua elicit. Merito ergo nos Deo dicere poterimus, id quod malus ille servus Domino suo (alia fortan intentione) dixit: (*Matth. 25.*) *Melis ubi non seminasti.* Mala siquidem quæ nos committimus, quasi quedam semina nostra sunt, quæ nos male operantes seminamus, non autem Deus, quoniam Deus non est, culpæ nostræ auctor, sed virtutis, quemadmodum ipse Hiraëlem per quemdam Prophetam docens, ait: (*Ose. 12.*) *Audi**

Israel, ex me adjutorium tuum, ex te autem perditio tua. Cum ergo Deus ex malis nostris bona elicit, metui ubi non feminaverat. Aliquid tamen interest inter eos qui mala committunt: quoniam si is qui malum aliquid commisit, ferreum cor habet & intractabile, malum illius Deus in aliorum justorum, qui secundum positum vocati sunt sancti, vertit utilitatem. Si quis vero ex electorum numero peccare contingit, etiam hoc ipsum Deus pro sua pietate illi facit proficere in bonum, cum ex perpetrato scelere illum docet humilitatem & cautelam, ut videlicet sibiipsum deinceps non fidat, sed in Deo solo, spei anchoram figat, in illo solo puppin (ut dicitur) & proram constituat, cautior deinceps vivat, & diligentior in sui custodia perseveret. Hinc Paulus ait: (*Rom. 8.*) *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Omnia quidem, five bona illa sunt, five mala. Nam electis Dei, in bonum etiam cooperantur omnia mala: quia illis proficiunt mala ipsa quæ faciunt, cum post perpetratas culpas humiliores redeunt atque doctiores, sicut viceversa contingit aliis, qui ex bono opere superbientes, deficiunt, & detrimentum patiuntur. Propter quod sapiens ait: (*Eccle. 42.*) *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier.* Viri nomine, justus & fortis significatur. Mulier vero, infirmam & fragilem mentem figurat. Contingit autem sæpe, ut vir fortis in peccatum labatur, & homo peccator & debilis bene operetur, hoc tamen inter utrumque interest, quod peccator ex bono opere superbit, & ita gravius læditur, vit autem justus & fortis, ex hoc quod se male egisse agnoscit, humiliatur, & cautius deinceps vivit; quo fit, ut inde ad majorem justitiam proficiat, unde ad tempus à justitia cecidisse videbatur. Melior est ergo iniquitas viri, quam benefaciens mulier: quia sæpe magis proficit justus ex unius peccati ruina, quam homo peccator ex aliquo opere bono. Multum quippe profuit Petro peccatum, quo magistrum suum dejerans negavit, quem anrea usque ad mortem se confessurum facile promiserat. Inde enim didicic Petrus numquam de suis viribus præsumendum, sed in Deo confidendum: quo sine, nihil boni quicquam agere potest: quoniam neque agere, neque cogitare, neque dicere aliquid bonum, nisi Deo adjutore, possumus. At, qui sic est doctus, ut sibi ipsi dissidens soli Deo innitatur, tantum profecit, ut jam amplius Deus illum peccare non sinat. Nam (ut ait Propheta *Psal. 125.*) *qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in æternum.* Multum etiam David ex peccato suo profecit, nam postquam per Nathan Prophetam reprehensus est, & Deo inspirante in animam illius spiraculum vitæ, respicit, cepit cognoscere malum in quod se lubens injecerat, & bonum quod per negligentiam & focordiam amiserat. Nam sic usu evenire competimus, ut tunc homines sua intelligent bona, quam quæ in potestate habuerant, amiserunt. Hoc ergo bonum ex Davidis peccato Deus elicit, quod inde Davidem humiliorem & cautorem fecit. Non enim debito Davidem multo meliorem & doctiorem post penitentiam fuisse, quam ante peccatum. Post penitentiam humiliatus est, ipsomet testante, qui ait: (*Psal. 37.*) *Afflicti sum, & humiliatus sum nimis.* At humilitas intelligentiam aperit, quemadmodum superbia claudit. Per humilitatem enim multa discuntur bona, per superbiam autem, nisi nisi malum, propter quod ipse, alibi ait: (*Psal. 118.*) *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Et hoc est quod titulus Psalmi indicat, cum ait: *Intellectus David.* (vel secundum Pagnini Lucensis translationem) *Davidi intelligentia.* Quæ translatio apertius tituli

sensum indicat, eo quod vitatur ambiguitas, quæ oriui possit ex nomine David, posito sine ulla inflexione, & casus distinctione, ob quam causam possent illa verba ad utramque partem detorqueri, ut dicant Davidem fuisse eruditum, aut illum erudire alios. Hanc tamen amphibologiam optime vitavit Pagninus, cum transtulit, Davidi intelligentiam. Ex qua translatione colligimus, illud nomen, David, in communi & vulgari translatione esse dativo casu positum, ut sit sensus, Davidi post penitentiam esse datum à Deo intellectum, ut intelligeret, quod nihil ex se homo possit, quod Dei adiutorio semper indigemus: quod nullus suis meritis salvatur, quod numquam ob quantacumque facinora sit desperandum, sed de divina misericordia semper confidendum, quod peccato commisso, necessaria est illius confessio, quod illa interveniente, peccatum quamlibet grave dimittatur. Hæc & alia huiusmodi David post peccati penitentiam, Deo interius docente, didicit. Quemadmodum vero ipse à Deo edoctus fuerat, sic alios erudire curavit, ut fidem suam quam obstrinxerat, liberaret. Promiserat enim olim David (Psal. 50.) se docturum iniquos vias Dei, si misericordiam, hoc est peccatorum scorum, quæ magna & multa esse cognoscebat, remissionem assequeretur. Huius igitur promissi memor, ne Deo velut stulta & infidelis sua displiceret promissio, hanc triglesimum primum Psalmum composuit, quo penitentiam virtutem, & divinæ bonitatis largitatem, quæ peccatoribus peccata sua consentibus presentissimam tribuit indulgentiam, exprimere est conatus. Ut autem hoc melius faceret, seipsum in exemplum omnibus peccatoribus profert, ut suo periculo illos cautiorem reddat. Mala quæ passus est, eo quod suum ceclaverit peccatum, narrat, bona quæ per peccati confessionem est assequutus, indicat. Qualem oporteat esse confessionem, ut peccatorum remissionem impetrare valeat, docet. Hic ergo Psalmus pro titulo intellectum habet, quoniam Davidi, & omnibus aliis peccatoribus dat intellectum, & instruit illos, ut in via hæc, qua gradiuntur, non fiant sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In hoc Psalmo erudiuntur omnes, ut numquam de iustitia sua, ad instar pharisæi in templo orantis se factare audeant: numquam de bono, si quod fecerint, gloriam sibi arrogant, sed Deo semper acceptum referant, numquam ante gratiam de meritis suis, quæ nulla sunt, gloriantur, numquam de peccati impunitate præsumunt, sed cum peccatum aliquod mentem sollicitaverit, multa esse peccatoris flagella considerent, ut saltem illorum horrore & metu perterriti, à peccato perpetrando revocentur, quod si in peccatum labi contigerit (contingit autem sæpe) unicuique esse hunc veneno saluberrimum antidotum sciant, male scilicet actorum confessionem & penitentiam, quæ nulli peccato quamlibet atroci non medetur. Hoc igitur emolumentum David ex peccato suo (Deo tamen auctore) habuit, quod inde humilior & doctior evasit. Et hanc causam unam & præcipuam ego esse censeo, propter quam Deus electos suos in maxima quandoque vitia labi permittit: quia illos inde occasione accepta, ad suæ infirmitatis cognitionem erudit, & sic humiliores & cautiorem facit. Et hoc ipsum sub quadam figura Deus olim prænuñciavit: (Judic. 3.) cum terra promissionis in potestatem filiorum Israel tradita, barbaras nationes, quæ in terra illa erant, Chanaanem & Amorrhæum & Jebusæum prorsus subvertere noluit, sed illas reliquit, ut erudiret in eis Israel. Quid per barbaras nationes nisi peccata designantur? Nam præter hoc, quod omnes illæ peccatis

repletae erant, illisque serviebant, ipsa nomina interpretatio peccatis usquequaque convenire dithoscitur. Amorrahæus enim, amarus dicitur latine, at nihil amariius peccato. Nam Princeps Apostolorum Simoni mago loquens, (Act. 8.) peccatumque illius exprimens, dixit: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Peccatum siquidem illius, dixit amarum esse sicut fel. Et ob hanc causam Spiritus Sanctus, qui totius bonitatis fons est & origo, in columbae specie apparere dignatus est: quia hæc avis, felle carere dicitur. Peccatum ergo omnem, eo quod amarissimum est, Amorrhæi nomine significatur, Chanaanæus Hebraice, Latine dicitur affligens. Nihil autem gravius & acerbius mentem affligit, quam peccatum. Nulla siquidem major afflictio in hac vita esse potest, quam divinam super se portare maledictionem, à Deo omnium bonorum parente longissime abesse, ab hereditate paterna, aeterna videlicet beatitudine, esse abdicatum, penis denique intolerabilibus & sempiternis (nisi penituerit) esse jam destinatum. Omitto alias afflictiones, quas singula quæque vitia tamquam proprium satellitium secum afferunt: quoniam hæc pœnæ innumeratae sunt. Unde Sapiens ait: (Eccle. 2.) *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & letitiam; peccatori autem dedit afflictionem, & curam superflvam.* Non quidem, quod hæc afflictionis causa in Deo ipso sit, sed in peccatore: qui suo arbitrio peccavit, in cuius peccati pœnam, hanc illi Deus permittit afflictionem. Chanaanæus igitur, qui affligens dicitur, peccatum merito significat, quod (nisi penitentia delectat) mentem sine ulla intermissione affligit. Jebusæi nomen non minus peccato convenit, quam reliqua. Nam Jebusæi significationem si verbis latinis exprimas, sonat concultus, & peccator velut res omnium abjectissima, ab omnibus concultabitur in die iudicii, & nunc à demonibus concultatur. Peccator siquidem est terra illa secus viam, in qua semen iactum fructum non tulit, eo quod à transiuntibus concultatum est. Neque ob aliam causam peccator concultatur, quam propter peccatum: quoniam homo aliqui magnæ est apud Deum æstimationis, peccatum tamen cuius est, propter quam velut quædam vilissima res contemnitur, & concultatur. Vidistis jam quo pacto peccata barbaræ merito & inculcæ dicantur gentes, scilicet, Amorrhæus, Chanaanæus, Jebusæus & cætera id genus; sed hæc gentes Dominus in Israele reliquit, cum iustum aliquem in vitia magna labi permittit. Quod autem sine reliquerit, subjungens exprimit. *Ut erudiret, inquit, in eis Israel.* Israel ergo reservatis gentibus eruditur: quia cum iustus in vitium aliquod labitur, multa ad salutem suam necessaria inde discit. Inde enim quam fragilis sit & debilis agnoscit, qui ante peccatum multa & magna de se præsumebat, inde quo pacto alios corrigere debeat, docetur. Qui enim nunquam grave aliquid, quod sibi debeat ignosci, commisit, nondum qualiter sit aliis ignoscendum, plene didicit. Et ob hanc causam (juxta Augustini sententiam) Deus Petrum peccare permittit, ut ex his quæ passus fuisset, disceret misericordiam. Vix enim fieri potest, ut qui misericordiam sibi necessariam intelligit, aliis misericordiam esse nolit. Hinc Paulus ait: (Galat. 6.) *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tentaris.* Ut quisque alium recte corrigat, moneat Paulus ut seipsum prius consideret, vitia sua scrutetur, quod quantaque fecerit, quibus misericordia sit opus, advertat. Nam si solum proximi peccatum consideraverit, & suum non attenderit, movebitur non ad miserationem,

sed

sed ad indignationem, non ad instruendum in spiritu lenitatis, sed ad destruendum in spiritu furoris. A seipso ergo modus correctionis distat, ut videlicet, ea mansuetudine & misericordia alios corrigat, qua ipse, cum in peccato fuit, corrigi optavit. A seipso etiam subditorum fragilitatem discat; indignum quippe esse, ut cum vitreus quis sit, ferream patientiam ab aliis requirat, sed eam fragilitatem in aliis post peccatum agnoscat, quam in se fuerit expertus. Discit etiam iustus ex peccato cautela: quia eo in posterum cautius vivendum esse intelligit, quo magis antea per imprudenciam cecidit, & tanto majorem sollicitudinem & circumspectionem in certamine adhibet, quo magis hostium astutias & potentiam expertus est, à quibus iterum vinci formidabat. Hinc Hieremias Propheta, (cap. 31.) iustum qui à peccato respicit admonet, dicens: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines.* Speculam sibi statuit, qui ventura victorum certamina ex alta consideratione prænotat. Amaritudines sibi ponit, qui præterita peccata, ut de illis penitentiam agat, ad memoriam revocat. Ipse sibi amaritudines ponit, qui in amaritudine veritatem, quæ sibi antea male dulcia fuerunt. Amaritudines igitur sibi ponere præcipitur, qui in specula stare debet: quia tunc quisque futura quæ imminet melius circumspicit, & cavet vitia, cum penitens ante oculos suos ponit præterita quæ olim commisit: quoniam ab illis edocetur, quo pacto ab aliis se custodire debeat, nam ut quidam dicit,

Per varios usus artem experientia fecit.

Exemplo monstrante viam.

Quum equus semel in loco aliquo lapsus est, tam vehementer locum illum reformidat, ut etiam si calcaribus urgeas, vix illac transire compellas: quoniam suo ipsius periculo jam factus est cautior. O igitur detestandam plusquam beluinam multorum hominum hebetudinem, qui quantumlibet exemplorum multitudine nunquam doctiores sunt, neque suis periculis sunt cautiore, sed ad eundem lapidem sæpiissime offendere non verentur. Longe tamen aliter Davidem fecisse non ignoramus, quem postquam de adulterio & homicidio penituit, nunquam in similia vitia lapsus esse cognoscimus: quoniam, experientia docente, jam causas & origines peccatorum didicerat, quale sit peccati venenum intellexerat, jam vias, quibus iter in peccatum, agnoscerat, & ideo ab illis summa cum diligentia abstinere curavit. Nam post penitentiam dicit: (Psal. 82.) *Mihi Deo adhaerere bonum est, & ponere in Deo spem meam.* In Deo solo sperat, & non in suis viribus: quia quid ex seipso possit, jam expertus fuerat, post penitentiam majori cum cautela semper vixit: quapropter sciens per oculos mortem ad illum intrasse, illos custodire sagax. Veram quia scit, quod nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam; (Psal. 118.) ideo Dominum orat, dicens: (Psal. 39.) *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Alios etiam de eadem re docet, dicens: *Beatus vir cuius est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitatis & insanas falsas.* Vanitates dicit omnia quæ sunt in hoc mundo: quoniam omnia illa (Salomone teste Eccle. 1.) vanitates sunt. Ut autem omnes ad illarum contemplationem averteret, melius facere non potuit, quam dicens illum esse beatum, qui in illas non respicit. Expertus etiam fuerat David, quantum animæ nocent collogia præva: ideo in Dei laudibus se totum occupat. Nam media nocte surgens ad consistendum Deo, & septies in die, laudes illi dicebat. Sed quia optime novit, quod nemini potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto, ideo Dominum precatur dicens: (Psal. 140.) *Pone Do-*

mine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labii mei, ne non declinet cor meum in verba malitiæ. Sciebat etiam, quod perverse cogitationes separant à Deo, ideo tota die in lege Domini meditatur & in mandatis illius, quæ dilexit, cogitabat. (Psal. 118.) *Didicerat etiam totius mali unicum originem esse otiositatem, ideo ab ea longissime abesse curavit.* Quale autem suum fuerit exercitium, ipse indicavit dicens: (Psal. 76.) *Exercitabar, & scopulam spirituum meum.* Et iterum (Psal. 118.) *Servus autem tuus exercitabar in tuis justificationibus.* Non exercebar in agrorum solitione, aut hortorum cultura, aut arborum amputatione, aut regni dilatatione, aut cuiusvis alterius patrimonii ampliatione: quoniam omnia hæc vana esse censeo, & instabilia, quæ consistere nequeunt. Exercebar ergo in mandatis tuis, & considerabo vias tuas: quoniam qui tua servat mandata, aliud illi parasti regnum, multo his terrenis melius, quod quidem non temporale est, sed regnum omnium sæculorum. Vides quantum suæ salutis curam David post peccati penitentiam habeat, quantum cum sollicitudine cor suum custodiat? Numquam enim tantam antea adhibuerat curam, eo quod tunc sibi opus esse nondum intellexerat. A peccato ergo quod commisit, intellexit sollicitudinem sibi esse necessariam. Hæc autem omnia, quæ ipse post peccati penitentiam, Deo interius docente, didicit, alios nunc docere vult, ut satis suæ promissioni faciat, qua promiserat se docturum iniquos vias Dei, ut illis agnitis, ad Deum converti procurent. Vos igitur peccatores, ad quos solos nobis est sermo, & quos solos David in hoc Psalmo erudiendos suscepit, attentos esse precor, & Propheta eruditionem, quam vobis in hoc Psalmo tribuit, tota mente suscipite: quoniam si illam bene servaveritis, non dubito, quin præterita vitia relinquentes, ad virtutis viam capessendam curratis, & sic eatis de virtute in virtutem, ut tandem Deum in Sion videre possitis per merita Domini nostri Jesu Christi, quicum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Beati quorum remissa sunt iniquitates.

QUI persuadere aliquid aliis conatur, omnibus modis illud laudare, atque maximis quibus potest præconiis extollere nititur, ut vel sic auditorum animos ad illius amorem alliciat. Tunc enim facillime quisque de aliqua re persuadetur, cum illam undique bonam, videlicet honestam, utilem, atque delectabilem esse plene intellexerit. Est enim talis natura boni, ut illud cognitum nemini non apperet. Bonam ergo esse eam rem quisque debet ostendere, quam ab aliis amari & desiderari cupit: quoniam nisi bonam esse vel aliqua ex parte confiterit, fieri non poterit, ut aliquis illius amore rapiatur. Ad hunc modum mihi nunc David fecisse videtur, qui cum peccatores omnes ad penitentiam hortari vellent, penitentiam laudes enarrare decrevit, & ideo ab omnibus maxima penitentiam virtute nunc auspiciatur, sic inquitens: *Beati quorum remissa sunt iniquitates.* Non dicit beatos eos, qui sunt peccatorum expertes, sed eos felices esse asserit, qui ut peccaverunt, eorum iniquitates remissæ sunt. Quoniam in hoc Psalmo non laudatur innocentia, sed penitentia. Prima igitur penitentiam laus est, quod per illam iniquitates omnes quamlibet graves remittantur. Et ob hanc causam beatos esse asserit penitentes: quoniam peccata, quæ illos

bea-

FRATRES ALFONSI
 A CASTRO
 ZAMORENSIS
 ORDINIS MINORUM
 HOMINUM VIGINTIQUATUOR HABITAE
 AD POPULUM SALMANTICAE
 IN CONVENTU
 FRATRUM MINORUM
 SUPER PSALMUM
 BEATI QUORUM REMISSAE



SUPERIORUM PERMISSU

MATRITI

EX TYPOGRAPHIA BASSI ROMANAE

Anno M.DCC.LXXIII



EPISTOLA
 ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
 DOMINO HENRICO PORTUGALLÆ INFANTI,
 ARCHIEPISCOPO BRACCARENSI,
 ET IN REGNO PORTUGALLÆ
 SUMMO DE REBUS FIDEI COGNITORI. &c.
 FRATER ALFONSUS A CASTRO.

S. P. D.



QUALIS quantaque sit illustrissime Princeps in Psalmis Davidis Prophetarum omnium excellentissimi, mysteriorum altitudo, quantaque ad omnes omnium hominum status utilitas, neque ego, cui nullus eloquentia torrens contingit, neque ii, qui in rebus aliis differendis felicissimi fuere, multis voluminibus, nedum epistola una explicare poterunt, si pro illorum meritis laudes & gloriam predicare voluerint. Est enim in illis tanta doctrinae fertilitas, tanta sententiarum gravitas, tanta eruditionis fecunditas, tanta denique prophetiae densitas, ut nihil sit quod desiderare possis, siue pietatem, siue disciplinam, siue rerum gestarum notitiam ab illo requiras. Nam si de pietate & religione doceri optas, nullus est qui illud beatissimae Triadis in unam coeunitis usiam sacratissimum mysterium apertius prodat, nullus etiam (de Prophetis loquor) qui totum vitae salvatoris nostri decursum tam exacte, ut ille, describat, nullus, qui varia illius tormenta, quae pro nobis in cruce mitissimus tulit, ad unum usque, quemadmodum ille reulerit, ut jam magis in passione Christi praedicanda, evangelista, quam Propheta censeferi possit. Nullus, qui cultum Deo exhibendum ubertius & expressius doceat. Apud illum namque invenies quomodo Deum orare debeas, qualiter sit ille rebus omnibus praefereendus, quo pacto in illo puppim (ut dicitur) & proram collocare te oporteat, quomodo pro beneficiis ab eo receptis, quae multa & magna esse docet, sint illi gratiae agendae. Si disciplinam cupis, quis illam melius docere poterit quam ille qui diutissime in illa versatus, per illam Dei justificationes celerrime didicit, ob quam causam ad flagella semper paratum se fuisse testatur, tantum abest, ut illa, cum insignirentur, pati recusaverit. Sui igitur exemplo afflictos omnes consolatur. Si historiam perqui-

ris, in illo solo omnium fere rerum à Deo gestarum monumenta tenebis. Quae enim in pentateucho & aliis veteris instrumenti voluminibus mirabilia Dei longo tractu describuntur, illorum fere omnium memoria in Psalmis Davidis refricatur, ita ut illis veluti quodam divinatorum chronicorum enchiridio uti possis. Jam si de moribus & virtutibus instrui optas, solus hic fatis est ad omnem virtutem perfecte addiscendam, cum nullum sit virtutis genus, de quo ille ubertim & splendide non doceat, nulla contra vitiorum pestilens farrago, nullaque illorum venenosa soboles, de quibus ille non moneat. Nec solum docet, sed suadet etiam ad viam virtutis capessendam. Et in suadendo mirum quanta vis. Sic enim suadet, ut facile quisque ab illo persuadeatur, si intento corde & minime obdurato, illum quis legere voluerit. Inter tot autem Davidis egregias dotes, illa omnium praestantissima est, qua peccatores omnes ad poenitentiam hortatur. Illic enim omnes suas exerit vires, omnes adhibet eloquentiae nervos, nullum non movet lapidem, ut peccatori male actorum poenitentiam persuadere possit. Quo fit, ut cum in aliis rebus David Prophetas omnes longo antecurrat spatio, in peccatorum tamen cordibus movendis, fovendis, & promovendis seipsum superasse videatur. Ob hanc causam ego, qui Ecclesiasten siue concionatorem ago, aliquos illius Psalmos, qui à poenitentia quam tractant, nomenclaturam susceperunt, ad populum viva voce sum interpretatus, sperans non parvam inde peccatores utilitatem capturos. Nam Psalmum quinquagesimum, quo divinam ille impetravit misericordiam, anno ab hinc tertio coram populo exposui. Illic Davidis testimonio docui, numquam ob maxima quaeque scelera esse deiciendum animum, sed in divina semper misericordia sperandum, quae omnes nostras iniquitates quamlibet graves, immensa superat men-

durissimo litteræ cortice latentem, ut illa interveniente, omnia quamlibet gravia peccata remittantur. Beati igitur poenitentes: quoniam poenitentia meritis omnes illorum iniquitates remissæ sunt. Magna ergo poenitentia virtus, quæ si peccatorem in pristinum iustitiam statum sic sæpe restituit, ut nullum præteriti lapsus vestigium maneat, quo sit, ut innocentia merito æquari possit. Propter quod in Ezechiele Propheta, (cap. 44.) per portam ad aquilonem etiam gloria Domini transire dicitur, sicut per portam ad orientem. Omnes qui divinum gratia lumen, quod semel hauserunt, conservaverunt, in innocentia persistentes, portam ad orientem habent, per quam Domini gloria ad illos intrat. Qui autem in peccata ruentes frigore malitia congelantur, portam ad aquilonem habent, quia illis etiam post peccati frigora regni aditus per misericordiam patet. Porta ergo quæ ad aquilonem est, eadem habere dicitur quæ porta ad orientem: quia multi post poenitentiam sunt adeo boni sicut illi qui à peccatis abstinentes, innocentiam custodierunt. Et quod mirabilis est, multi post lapsum fortiores per poenitentiam surgunt, quam antea fuerant, quia quo magis se cecidisse agnoverint, eo magis surgere conantur. Cum autem cuilibet bene conanti Deus semper porrigat manum suam, sit, ut Deo adjuvante, & peccatore magis annitente, peccator rector & fortior surgat, & cautior postmodum vivat. Unde evenit, ut poenitentiam non solum æquetur innocentia, sed illi sæpenumero iure possit præponi. In cuius rei confirmationem illud advertendum est, quod hostia capræ quæ pro peccato offerri jubetur, in eodem loco immolari præcipitur, in quo holocaustum, hoc est in introitu tabernaculi, cum tamen ovis pacificorum, quæ innocentiam designat, non in introitu tabernaculi, sed longe, puta in vestibulo, jubebatur immolari. Quod non ob aliam causam dictum esse putandum est, nisi quia sæpenumero poenitentia longo intervallo excedit innocentiam, ita (ut juxta Pauli sententiam Rom. 5.) ubi abundavit delictum, superabundet postea gratia. Credo firmiter meliorem fuisse David post peccati poenitentiam, quam ante peccatum. Non dubito Petrum firmiter dilexisse Dominum postquam egressus foras levit amare, quam ante negationem illum dilexerat. Quis dubitat Magdalene vitam post lachrymas in domo Simonis fufas multo excellentiorem & majoris meriti fuisse, quam ante unquam fuerat. Nec opus est longum catalogum texere, cum quotidie videamus multos, qui à statu iustitiae miserabiliter lapsi, fructuosa postmodum succedente poenitentia, primam meritorum gratiam transcendunt. Sæpe enim contingit, ut aliquis ab hostibus circumdatus parum conetur & tepide, pro sui defensione, eo quod securum se putat, nec hostes suos timet, si tamen in hostium potestatem venerit omnes exerceret vires, nullum non movere lapidem, nihil intentatum relinquit, ut ab hostibus eripiat, ereptus postea si contingat oppugnari, fortius resistit, & cautius aget. Ad eundem modum evenit in multis, qui post poenitentiam fortiores surgunt & cautiores, quam antea fuerant. In quibus nulli dubium, quin illorum poenitentia innocentia eorumdem sit merito præferenda. Cum ergo tanta sit poenitentia virtus, tot testimoniis & experientis comprobata, quisquis se peccasse meminit, ad poenitentia remedium confugiat, quam nullum est tam grave peccatum, neque tanta peccatorum multitudo, cui illa subvenire non possit, peccatorum impetrans remissionem. Qua data, statim regni celestis aditus patet per merita Jesu Christi filii Dei, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

Et quorum tecta sunt peccata.

Explicita poenitentia virtute, quam tantam esse diximus, ut ipsius meritis, quamlibet grave peccatum, quamlibet etiam numero sunt remittatur, nunc vero poenitentia radicem, videlicet charitatem, à qua omnis poenitentia virtus procedit, Propheta explicat, dicens illos esse beatos, quorum tecta sunt peccata. Non sunt enim remissæ iniquitates, quæ non sunt tecta. Teguntur autem per charitatem, sicut beatus Petrus ait: (1. Pet. 4.) Charitas operit multitudinem peccatorum. Operit quidem velut vestis, quæ si corpus aliquid ulceribus plenum texerit, efficiet, ut vulnera illius non videantur ab aliis: ita charitas, si animæ peccatis vulnerata infundatur, omnia illius vulnera teget, ut jam non videantur à Deo, qui omnia novit. Sicut enim ipsemet Deus nescire se dicit malos propterea quod illis præmia æterna donare non statuit, ita etiam merito dicemus illum nescire mala, quæ superveniente charitate teguntur, eo quod illis æternam poenam jam non decernit injungere. Nullum est enim malum aut bonum adeo secretum, ut illi Deus poenam aut præmium non decernat. Malum ergo, cui à Deo iusta non decernitur poena, ab illo (juxta hunc locutionis modum) ignoratum esse convincitur. Nam alias nihil est, quod illi latere possit. Quid poterit occultatum esse illi, cujus oculi contemplantur bonos & malos, & cujus oculis (ut ait Paulus Hebr. 9.) omnia aperta sunt? Videt ergo Deus mala, quorum poenitentium eorum auctores, non tamen sic ea videt, ut illis poenam æternam indigere statuatur, quia charitas superveniens obstat, ne sic à Deo videantur. Charitas, quæ se oculis divinis objicit quo minus Deus peccata videat, hæc est, quæ peccata tegere dicitur, & ab hac omnem suam virtutem peccatorum poenitentia capit, ut illius meritis peccata remittantur. Nec solum poenitentia, sed quodvis aliud bonum, ut absolute bonum, hoc est vitæ æternæ meritum dici possit, à charitate habet. Hæc enim seclusa, nihil est quod vitæ æternæ, dignum dici possit. Hæc est, quæ cuilibet bono operi tribuit virtutis perfectionem. Omne igitur quod vere bonum esse debet, charitate perfici oportet. Nam in magifico illo Salomonis templo nil erat quod non auro tegetur. Templum Dei (ut ait Paulus 1. Corinth. 3.) sanctum est, quod estis vos. Verum hoc templum, & si in aliis quamlibet pretiosis virtutibus construat, charitatis tamen tegumento deficiente, indignum tanto habitatore iudicabitur. Tegit ergo omnia charitas, si bona illa sint, si mala. Bona tegit, quia illis tribuit exactam virtutis perfectionem, & ultimum bonitatis complementum. Mala tegit, quia illa ne à Deo videri possint, operit, si que operit, ut illa sola absque ullo expresso peccatorum dolore valeat ad peccatorum remissionem obtinendam. Si quis enim peccator, maximis etiam criminibus obvolutus, à tyranno aliquo tormentis urgeretur ut fidem negaret, & ille constanti animo fidem teneret, & tormenta omnia, omnes cruciatus, mortem denique pro Dei amore contemnens, patientissime toleraret, nullus dubitat, hujus mortem fore in conspectu Domini pretiosam, etiam si tormentis tunc cogentibus peccatorum suorum minime recordatus, nullum propter illa mente concepsisset dolorem. Ille quidem peccatorum poenitentiam in virtute & radice habuisse dicitur, qui charitatem habuit, quæ est veræ poenitentia.

rentia radix. Si autem vice versa peccatorum poeniteret, nec tamen charitate aut stimulante aut cogente id faceret, nihil illi ad salutem hujusmodi poenitentia valeret. Et hæc est una ex potissimis causis propter quam illis qui sunt in inferno nunquam peccata remittentur, quamvis Salomone teste, (Sapi. 5.) propter delicta perpetrata gemant, & illorum poenitentia: quoniam ut id faciant, non illos charitas impellit ut comitatur, sed solum poenitentiam odium, & sui ipsorum amor. Ex his ergo omnibus colligimus, solam charitatem esse, quæ tanti poenitentiam facit, ut illius meritis peccata remittantur. Hinc est quod Christus Servator noster, cum mulieri peccatrici peccata condonavit, ait: (Luc. 8.) Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Non dixit, quia multum doluit, aut quia multum lachrymata est, aut quia oleo caput meum unxit, aut quia pedes meos lachrymis suis rigavit & capillis terxit: quoniam omnia illa & alia multo duriora, seclusa charitate, non valent ad remissionem peccatorum; sed dixit, quoniam dilexit multum, ut videlicet omnem poenitentia virtutem ex Dei amore pendere innuere. Et propter hanc causam Propheta (ut ego existimo) postquam poenitentia virtutem explicaverat, dicens beatos esse illos, quorum remissæ sunt iniquitates, statim causam & originem illius remissionis aperuit esse charitatem dicens, & quorum tecta sunt peccata. Tegit autem (ut diximus) sola charitas. Non enim sentio cum illis, qui aliud putant intelligi per iniquitates, & aliud per peccata, ita ut iniquitates referant ad ea, quæ per baptismum diluuntur, peccata vero, ad illa, quæ post baptismum commissa per poenitentiam remittuntur. Mihi vero (cum bona illorum venia) ea probatur sententia, ut hæc posterior versiculi pars non aliud quid à priori significet, sed sit quasi prioris partis interpretatio, juxta quem loquendi modum sunt in Psalmis Davidicis multa. Et, ut unum aut alterum è multis profertur, illud est apertissimum, quod in Psalmo quinquagesimo dicitur: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Nam ideo peccatum se cognoscere ait, quia illud semper ob oculos suos obverfabatur. Vix enim fieri potest, ut quis, nisi cæcus ille sit, non videat illud, quod semper est coram oculis suis. Et illud est apertissimum, quod in (Psal. 101.) ait: Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de celo in terram aspexit. Quid sit prospicere de excelso sancto, exposuit per id quod subdidit. Dominus de celo in terram aspexit. Et in (Psal. 69.) Deus tu scis insipientiam meam. Quam sententiam repetens subdidit: Et delicta mea à te non sunt abscondita. Ad hunc modum ego nunc Davidem fecisse censo, qui postquam dixerat illos esse beatos, quorum remissæ sunt iniquitates, statim ipsius remissionis principem causam explicuit, sic inquit. Et quorum tecta sunt peccata. Quibus verbis, charitatem, quæ sola tegere valet peccata, significavit, docens illam esse, à qua omnem suum vigorem vera poenitentia sumit. Verum hic admonendum censui, ut nullus putet sic ad veram poenitentiam esse necessariam charitatem, ut si aliunde, puta ex timore mortis, aut ex metu iustissimi iudicis, aut ex odio poenitentiam inferni, aut alia quavis simili causa inchoetur, malam illam esse credat, aut quæ utilis & fructuosa esse non possit. Absit à Christi fidelibus hæc sententia: quam sacræ litteræ, & sanctorum omnium concors sententia damnant. Nam hæc inter Lutheri impietates & venenosa dogmata numeratur. Si enim peccatorum poenitentia, quæ à timore servilis inchoatur, bona esse non posset, nunquam Christus Servator noster per talem timorem peccato-

res ad poenitentiam hortaretur, ac sæpissime hunc timorem, peccatorum cordibus incusit, ut vel timore cogente male actorum poenitentes, bene sibi in posterum confulerent. Nisi poenitentiam (inquit ille Luc. 13.) egeritis, omnes simul peribitis. Et cum de ultimo illo & digne timendo iudicio disputasset, dicens illius diem esse incertum, statim subdidit. (Matth. 24.) Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et in parabola de cœna, ad quam cum invitati recusarent venire, ait Dominus servo. (Luc. 14.) Exi in vias & sepes, & compelle eos intrare, ut impleatur domus mea. At quis non videt compulsionem fieri, non tractu suavi, sed per quandam quasi vim & violentiam, & tamen sic compulsi, intrant domum Dei, & implent illam. Et præcursor illius Joannes Baptista, cum peccatores ad poenitentiam hortatur, iram Domini illis futuram, ni id fecerint, docet, ut timore urgente, discant à peccatis cavere, & propter jam commissa dolere, sic enim ait: (Luc. 3.) Genimina viperarum, quis ostendit, vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentia. Et paucis interjunctis, poenas inferni minatur illis, qui non egerint poenitentiam, sic inquit: Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem miseretur. Si mala esset peccatorum poenitentia, quæ à timore mortis & gehennæ inchoatur, nunquam Saluator noster, aut illius præcursor peccatores ad illam hortaretur. Deinde parabola illa apud Mathæum (cap. 18.) de Rege subducente rationem cum servis suis, & debita ab uno servorum exigente, apertissime docet talem contritionem peccatorum, quæ à gehennæ odio oritur, esse bonam, & fructuosam, & ad peccatorum remissionem obtinendam sufficientem. Nam servus ille, decem millium talentorum debitor, qui eo quod solvendo non erat, justus est vendi, hoc est, damnatus ad torquentum tradi, horrore & odio poenitentiam, quibus illum Rex destinabat, preces ad Dominum fudit, humiliter pro sola debiti prorogatione supplicans, cui Rex pro sua benignitate & magnificencia, non solum quam petiit dilationem, sed totius debiti remissionem indulgit, quæ rata permanisset, si ille iam impendisset conservo misericordiam, quam se à Domino accepisse meminerat. Non est ergo mala poenitentia, quæ à timore etiam servili inchoatur. Verum & si hujusmodi poenitentia, quæ ex timore gehennæ & horrore poenitentiam oritur, mala non sit, bona tamen nunquam erit, nisi ultra progrediatur, ut scilicet ex timore procedat in amorem, ita, ut quod timore inchoatum est, amore postmodum perficiatur. Nam hæc est timoris servilis virtus & bonitas, quod amorem inducere potest, velut acus filum. Nam de hoc timore testatur Propheta, (Psal. 110.) illum esse initium sapientia, illius (inquam) sapientia, de qua Sapiens ait: Dilectio Dei honorabilis sapientia. Fieri enim potest, ut quis ex odio poenitentiam procedat ad cognitionem peccatorum, considerans & perpendens quanta sit peccati malitia, cui tot tantæque parantur poenæ. Nam (ut est apud Esaiam: cap. 28.) vexatio dat intellectum. Deinde ex cognitione peccati, convertit se ad cognitionem virtutis, & quanta sit merces illi à Deo parata, considerat, & inde ad Deum pervenit, illius iustitiam contemplanus: qui ut malis poenam, ita bonis præmia magna tribuit, & propter hoc illum amat. Et inde iterum convertit se ad peccati considerationem, per quod agnoscat se Deum offendisse. Tunc igitur peccati nequitia exacte considerata odit illud, non solum ratione poenitentiam, quæ propter illud infligenda sunt, nisi poeniteat, sed quia malum, quia virtuti contrarium,

fura. Edocti sunt etiam peccatores, quo affectu, qua etiam reverentia Deum alloqui debeant, cum illum pro suorum venia peccatorum precantur. Hunc Psalmum ut viva illum voce ad populum fueram interpretatus, evestigio excudendum tradidi. Proximo deinde anno Psalmum trigessimimum, qui inter poenitentiales stato semper & fixo ordine secundus locatur, exponendum suscepi, in quo peccatores sic ad poenitentiam David hortatur, ut cogere videatur. Nihil enim in illo solo intentatum reliquit, quod ad poenitentiae persuasionem, quovis modo conducere posset. Hinc praemis allicit, beatitudinem poenitentibus promittens, illic minis arget, multa docens esse peccatoribus parata flagella. Nunc poenitentiam ab utilitate, quam multiplicem & magnam esse docet, commendat. Nunc a necessitate illam laudat, ne quis aliud sibi parere suffragium peccator existimet. Nunc ab illius facilitate eam extollit, ne improbam forte illius difficultatem peccator causatus, excusare se merito posset. Neque vero persuasionis partes suscipiens, poenitentiae qualitates suis obliis docere. Sic enim hortatur, ut qualem oporteat esse poenitentiam, doceat. Sic rursum docet, ut animum ad poenitentiam ultro agendam impellat. Verum est hunc Psalmum, omnium quae ad poenitentiam spectant, utilissimum & copiosiori doctrina referentissimum esse experimento didiceram, aliquibus tamen aliis non minus utilis negotiis distractus, mala etiam valitudine impeditus, quae ad populum dixeram, scribere statim non potui. Amicis autem pluribus deinde rogantibus, aliis etiam arguentibus, ne talentum mihi datum absconderem, coactus fui illorum quae ad populum dixeram, memoriam refricare, & illa omnia in ordinem redigere, ut chalcographis in omnium usum traderentur. Ut autem Homilias quas super hunc Psalmum edideram, ad umbilicum perdoxi, illas tibi dicere decrevi, ut germanus Psalmus, germanum protectorem haberet. Psalmum siquidem quinquagesimum. Portugalliae Regi obtuleram: ut cum Davidem Regem alioqui benignum & justum, pro atrocibus suis sceleribus Deum orasse audiret, intelligeret non esse nunquam de statu suo vana securitate sibi blandiendum, sed provida semper circumspicione cavendum, ne dum magis forte se stare laetaretur, in pessima quaque vitia per focordiam & superbiam laberetur, ut etiam vel ex eo diceret Rex, qua benignitate & elementia subjectum sibi populum Regere illum oporteat, cum toties Deum suis peccatis exasperasse, & divina se egere misericordia intellexerit. Cui igitur Psalmum hunc nuncupare nisi tibi Illustrissime Princeps, qui Serenissimi Regis tam ex frater, ut non tam ovum ovo simile credatur, quam tu in Regis illius moribus exprimentis similis es illi. Multa siquidem tibi cum illo conveniunt. Pius erga Deum affectus, benigna atque humana cum subditis conversatio, iudicii rectitudo, sacrarum litterarum ardens amor, fervens zelus erga fidem catholicam. Diligentissima denique populi vobis commissi administratione. Ille enim sui regni gubernationi sic incumbit, ut nulla sit vel minima res ad regni sui administrationem spectans, quae illo inconsulto dispenfetur. Qua in re ab aliis plerisque regibus est longe diversissimus: qui ut a se omnem profusum laborem rejiciant, omnia per ministros decernunt. Tu vero tanto majori cura & diligentia id agis, quanto optime intelligis majorem esse Episcopi quam Regis obligationem, duriorumque a te, quam ab illo esse exigendam rationem. Vigilas quidem super gregem tuum tamquam redditurus Deo rationem pro illo. Animam tuam ad instar Christi Salvatoris nostri, verique nostrarum ani-

marum pastoris pro ovibus tuis ponis, cum omnes tuos cogitatus, omnes tuos affectus omnes denique vires tuas huic impendis negotio, ut vel unam ex ovibus tibi commisis non perdas. Neque enim tu ex illorum numero es, qui non ut prosint, sed ut praesint, Episcopi sunt, & ad hoc solum pastoris officium suscipiunt, ut ovium ubera premant, & vellera tondant, non ut pascant, aut a lupis defendant. Tu siquidem eius Regis filius regisque frater, Episcopi onera sibi non reculas, & illius partes, quae multae & laboriosae sunt, (ut aliis multo te inferioribus saepe contingit) exequi non dedignaris. Quanta autem sollicitudine illas partes, ne fame verbi Dei intereat, testis est schola Bracharenfis, quam tuis sumptibus erexit, ut per illam densissima, quae olim invaluerant illi tenebrae, prodigerentur; restas sunt etiam quampurissimi viri docti, quos tuis stipendiis, itaque largissimis, in hoc officium alis. Unde evenit, ut quemadmodum caelum nubes, ita tu virorum eruditorem gregem ad te trahas. Et merito quidem: quoniam si solis verbis, ut plerisque mos est, viris doctis faveres, multi ad te veluti ad quoddam miserum refugium confugerent, ut tuo favore vel aspirare liceret: tanta est (proh dolor) virorum doctorum abjectio, praefertim eorum, qui se divinis manciparunt litteris, quibus alendis & fovendis rarus hodie invenitur Maecenases. Verum cum non solis verbis faveas, sed quae tua est munificentia, muneribus largissimis allicias, largioribus foveas, dignum quidem est, ut in te viri docti confluant, & ad te velut ad ratissimum placidissimumque portum confugiant.

Munera crede mihi capiunt hominesque deosque:

Placatur donis Jupiter ipse datus.

Quid sapiens faciet? stultus quoque munere gaudet.

Ipse quoque accepto munere mitis erit. (Ovidius *Libro 3. de arte.*)

Merito igitur cum Apostolis suis, in quorum nunc locum es subrogatus, piscatorem animarum te Deus esse statuit: qui sic viros doctos inescare nosti, ut rarus sit, qui tuis laqueis non libenter capiatur. Tibi igitur Serenissime Princeps veluti unico Theologorum praesidio, his viginti quatuor Homiliis, quas super Psalmum trigessimimum Salmanticae ad populum habui, dicandas censui: quas pro tuo illo vere regio animo gratas spero accipies. Neque aspernaberis, scio, exiguum munusculum, sed mitentis animum tibi longe deditissimum aestimabis, sicut Xerxes ille potentissimus Rex, qui aquam manibus hausit a rustico libenter accepit, & Christus Xerxe illo, immo regibus omnibus superior, pauperculae viduae nummulo omnibus omnium divitum oblationibus antetulit. Quod hoc si tibi placuisse intellexero, obligatam me hac ratione efficiet, ut majores & meliores operas, quas jam parturio, tibi offeram. Vale virorum doctorum unicum praesidium & totius Hispaniae decus. Ex Salmantica, sexto calendis Julii. Anno Domini. M. D. XL.

TITULUS PSALMI XXXII.

Intellectus David, vel secundum aliam translationem, Davidi intelligentia.

HOMILIA PRIMA.

TAM immensa est divinae bonitatis fecunditas, ut non solum ex bonis bona, sed ex malis, quae illo permittente plurima subinde fieri contingit, bona semper elicere velit. Nam Deus omnipotens, cui rerum est summa potestas, ut Augustini verbis utar, cum summe bonus sit, nullo modo sineret mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo. Non quidem, quod malis ipsis virtutum & potestatem ad bonum aliquid producendum Deus tribuerit, nam hoc sentire, summe demeritae esset: quoniam (ut ipsamet veritas ait *Math. 7.*) arbor mala non potest fructus bonos facere: sed, quod illa ex se facere non queant, Deus pro sua immensa bonitate ex illis occasione capta, elicit, cum bona facit, quae nisi mala praecedissent, non fuisset facturus. Mala quidem sunt primi hominis inobedientia & divini praeccepti transgressio, sed haec, Deo auctore, in maximum ceisit bonum, cum ad hominis redemptionem, qui propter peccatum a demone captivus tenebatur, Deus homo fieri, & pro hominibus mori dignatus est. At si homo non peccasset, quamvis juxta quorundam sententiam, Deus homo nihilominus fieret, numquam tamen mortem gustasset. Nulla etiam lingua dicere, nullusque intellectus capere sufficit, quale quantumque peccatum commiserint, qui agnum innocentissimum absque omni macula, Deis scilicet & hominis filium, tam crudeliter, & tam turpiter interfecerunt. Sed hanc caedem, quae gravissimo Judaeorum scelere commissa est, Deus in nostram, hoc est totius humani generis utilitatem convertit, cum per illius mortem omnium delicta condonavit, & omnibus, regni caelestis introitum patefecit: quae omnia nisi Christi morte intercedente, nullas assequi potuisset. Nam (ut egregie Apostolus docet *Hebr. 9.*) sine sanguinis effusione, non fit remissio, neque sine sanguine Sacerdos in secundum intrabat tabernaculum. Et ideo Christus assidens Pontifex, per proprium sanguinem introivit semel in sancta, in omnibus nobis in posterum patentem accessum reliqueret. Nullum denique a quovis homine malum committitur, quod Deus pro sua erga nos immensa pietate, non vertat in aliquam, aut illius qui commisit, aut aliorum utilitatem. Propter quod mihi recte Moyses dixisse videtur, cum de Deo loquens, ait (*Deuter. 32.*) *Qui fugit mel de petra.* Nam petrae nomine, eo quod sterilis illa sit & ponderosa, peccatum non immerito significari potest. Mel autem cum dulce sit, bonum quodlibet designare potest: quoniam nihil virtute & bonitate dulcius esse potest. Tunc ergo Deus mel de petra fugit, cum ex malis quamlibet gravibus quae homines committunt, bona aliqua elicit. Merito ergo nos Deo dicere poterimus, id quod malus ille servus Domino suo (alia forsan intentione) dixit: (*Matth. 25.*) *Melius ubi non seminasti.* Mala siquidem quae nos committimus, quasi quaedam semina nostra sunt, quae nos male operantes seminamus, non autem Deus, quoniam Deus non est, culpae nostrae auctor, sed virtutis, quemadmodum ipse Ibraelem per quemdam Prophetam docens, ait: (*Ose. 12.*) *Audi*

Israel, ex me adiutorium tuum, ex te autem perditio tua. Cum ergo Deus ex malis nostris bona elicit, metis ubi non feminaverat. Aliquid tamen interest inter eos qui mala committunt: quoniam si is qui malum aliquid commisit, ferreum cor habet & intractabile, malum illius Deus in aliorum justorum, qui secundum positum vocati sunt sancti, vertit utilitatem. Si quis vero ex electorum numero peccare contingit, etiam hoc ipsum Deus pro sua pietate illi facit proficere in bonum, cum ex perpetrato scelere illum docet humilitatem & cautelam, ut videlicet sibi ipsi deinceps non fidat, sed in Deo solo, spei anchoram figat, in illo solo puppin (ut dicitur) & proram constituat, cautior deinceps vivat, & diligentior in sui custodia perseveret. Hinc Paulus ait: (*Rom. 8.*) *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Omnia quidem, sive bona illa sunt, sive mala. Nam electis Dei, in bonum etiam cooperantur omnia mala: quia illis proficiunt mala ipsa quae faciunt, cum post perpetratas culpas humiliores redeunt atque doctiores, sicut viceversa contingit aliis, qui ex bono opere superbientes, deficiunt, & detrimentum patiuntur. Propter quod sapiens ait: (*Eccle. 42.*) *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier.* Viri nomine, justus & fortis significatur. Mulier vero, infirmam & fragilem mentem figurat. Contingit autem saepe, ut vir fortis in peccatum labatur, & homo peccator & debilis bene operetur, hoc tamen inter utrumque interest, quod peccator ex bono opere superbit, & ita gravius laeditur, vir autem justus & fortis, ex hoc quod se male egisse agnoscit, humiliatur, & cautius deinde vivit; quo fit, ut inde ad majorem justitiam proficiat, unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur. Melior est ergo iniquitas viri, quam benefaciens mulier: quia saepe magis proficit justus ex unius peccati ruina, quam homo peccator ex aliquo opere bono. Multum quippe profuit Petro peccatum, quo magistrum suum dejerans negavit, quem anrea usque ad mortem se confessurum facile promiserat. Inde enim didicidit Petrus nunquam de suis viribus praesumendum, sed in Deo confidendum: quo sine, nihil boni quicquam agere potest: quoniam neque agere, neque cogitare, neque dicere aliquid bonum, nisi Deo adiutore, possumus. At, qui sic est doctus, ut sibi ipsi diffidens soli Deo innitatur, tantum profecit, ut jam amplius Deus illum peccare non sinat. Nam (ut ait Propheta *Psal. 125.*) *qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in aeternum.* Multum etiam David ex peccato suo profecit, nam postquam per Nathan Prophetam reprehensus est, & Deo inspirante in animum illius spiraculum vitae, respicit, coepit cognoscere malum in quod se lubens injecerat, & bonum quod per negligentiam & focordiam amiserat. Nam sic usu evenire competimus, ut tunc homines sua intelligent bona, quam quae in potestate habuerant, amiserunt. Hoc ergo bonum ex Davidis peccato Deus elicit, quod inde Davidem humiliorem & cautorem fecit. Non enim debito Davidem multo meliorem & doctiorem post poenitentiam fuisse, quam ante peccatum. Post poenitentiam humiliatus est, ipsomet testante, qui ait: (*Psal. 37.*) *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis.* At humilitas intelligentiam aperit, quemadmodum superbia claudit. Per humilitatem enim multa discuntur bona, per superbiam autem, nisi nisi malum, propter quod ipse, alibi ait: (*Psal. 118.*) *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Et hoc est quod titulus Psalmi indicat, cum ait: *Intellectus David.* (vel secundum Pagnini Lucensis translationem) *Davidi intelligentia.* Quae translatio apertius tituli

FRATRES ALFONSI
A CASTRO
ZAMORENSIS
ORDINIS MINORUM
HOMINUM VIGINTIQUATUOR HABITAE
AD POPULUM SALMANTICAE
IN CONVENTU
FRATrum MINORUM
SUPER PSALMUM
BEATI QUORUM REMISSAE

BEATI QUORUM REMISSAE



SUPERIORUM PERMISSU

MATRITI

EX TYPOGRAPHIA BASSI ROMANAE

ANNO M.DCC.LXXIII

EPISTOLA
ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO HENRICO PORTUGALLÆ INFANTI,
ARCHIEPISCOPO BRACCARENSI,
ET IN REGNO PORTUGALLÆ
SUMMO DE REBUS FIDEI COGNITORI. &c.
FRATER ALFONSUS A CASTRO.

S. P. D.



QUALIS quantaque sit illustrissime Princeps in Psalmis Davidis Prophetarum omnium excellentissimi, mysteriorum altitudo, quantaque ad omnes omnium hominum status utilitas, neque ego, cui nullus eloquentia torrens contingit, neque ii, qui in rebus aliis differendis felicissimi fuere, multis voluminibus, nedum epistola una explicare poterunt, si pro illorum meritis laudes & gloriam predicare voluerint. Est enim in illis tanta doctrinae fertilitas, tanta sententiarum gravitas, tanta eruditionis fecunditas, tanta denique prophetiae densitas, ut nihil sit quod desiderare possis, siue pietatem, siue disciplinam, siue rerum gestarum notitiam ab illo requiras. Nam si de pietate & religione doceri optas, nullus est qui illud beatissimae Triadis in unam coeunitis usum sacratissimum mysterium apertius prodat, nullus etiam (de Prophetis loquor) qui totum vitae salvatoris nostri decursum tam exacte, ut ille, describat, nullus, qui varia illius tormenta, quae pro nobis in cruce mitissimus tulit, ad unum usque, quemadmodum ille reulerit, ut jam magis in passione Christi praedicanda, evangelista, quam Propheta censeferi possit. Nullus, qui cultum Deo exhibendum ubertius & expressius doceat. Apud illum namque invenies quomodo Deum orare debeas, qualiter sit ille rebus omnibus praefereendus, quo pacto in illo puppim (ut dicitur) & proram collocare te oporteat, quomodo pro beneficiis ab eo receptis, quae multa & magna esse docet, sint illi gratiae agenda. Si disciplinam cupis, quis illam melius docere poterit quam ille qui diutissime in illa versatus, per illam Dei justificationes celerrime didicit, ob quam causam ad flagella semper paratum se fuisse testatur, tantum abest, ut illa, cum insignirentur, pati recusaverit. Sui igitur exemplo afflictos omnes consolatur. Si historiam perqui-

ris, in illo solo omnium fere rerum à Deo gestarum monumenta tenebis. Quae enim in pentateucho & aliis veteris instrumenti voluminibus mirabilia Dei longo tractu describuntur, illorum fere omnium memoria in Psalmis Davidis refricatur, ita ut illis veluti quodam divinatorum chronicorum enchiridio uti possis. Jam si de moribus & virtutibus instrui optas, solus hic fatis est ad omnem virtutem perfecte addiscendam, cum nullum sit virtutis genus, de quo ille ubertim & splendide non doceat, nulla contra vitiorum pestilens farrago, nullaque illorum venenosa soboles, de quibus ille non moneat. Nec solum docet, sed suadet etiam ad viam virtutis capessendam. Et in suadendo mirum quanta vis. Sic enim suadet, ut facile quisque ab illo persuadeatur, si intento corde & minime obdurato, illum quis legere voluerit. Inter tot autem Davidis egregias dotes, illa omnium praestantissima est, qua peccatores omnes ad poenitentiam hortatur. Illic enim omnes suas exerit vires, omnes adhibet eloquentiae nervos, nullum non movet lapidem, ut peccatori male actorum poenitentiam persuadere possit. Quo fit, ut cum in aliis rebus David Prophetas omnes longo antecurrat spatio, in peccatorum tamen cordibus movendis, fovendis, & promovendis seipsum superasse videatur. Ob hanc causam ego, qui Ecclesiasten siue concionatorem ago, aliquos illius Psalmos, qui à poenitentia quam tractant, nomenclaturam susceperunt, ad populum viva voce sum interpretatus, sperans non parvam inde peccatores utilitatem capturos. Nam Psalmum quinquagesimum, quo divinam ille impetravit misericordiam, anno ab hinc tertio coram populo exposui. Illic Davidis testimonio docui, nunquam ob maxima quaeque scelera esse deiciendum animum, sed in divina semper misericordia sperandum, quae omnes nostras iniquitates quamlibet graves, immensa superat men-

sententiam indicat, eo quod vitatur ambiguitas, quæ oriiri possit ex nomine David, posito sine ulla inflexione, & casus distinctione, ob quam causam possent illa verba ad utramque partem detorqueri, ut dicant Davidem fuisse eruditum, aut illum erudire alios. Hanc tamen amphibologiam optime vitavit Pagninus, cum transtulit, Davidi intelligentiam. Ex qua translatione colligimus, illud nomen, David, in communi & vulgari translatione esse dativo casu positum, ut sit sensus, Davidi post penitentiam esse datum à Deo intellectum, ut intelligeret, quod nihil ex se homo possit, quod Dei adjutorio semper indigemus: quod nullus suis meritis salvatur, quod nunquam ob quantacumque facinora sit desperandum, sed de divina misericordia semper confidendum, quod peccato commisso, necessaria est illius confessio, quod illa interveniente, peccatum quamlibet grave dimittitur. Hæc & alia hujusmodi David post peccati penitentiam, Deo interius docente, didicit. Quemadmodum vero ipse à Deo edoctus fuerat, sic alios erudire curavit, ut fidem suam quam obstrinxerat, liberaret. Promiserat enim olim David (Psal. 50.) se docturum iniquos vias Dei, si misericordiam, hoc est peccatorum sororum, quæ magna & multa esse cognoscebat, remissionem assequeretur. Hujus igitur promissi memor, ne Deo velut stulta & infidelis sua displiceret promissio, hunc trigésimum primum Psalmum composuit, quo penitentiam virtutem, & divinæ bonitatis largitatem, quæ peccatoribus peccata sua consistentibus presentissimam tribuit indulgentiam, exprimere est conatus. Ut autem hoc melius faceret, seipsum in exemplum omnibus peccatoribus profert, ut suo periculo illos cautiore reddat. Mala quæ passus est, eo quod suum celaverit peccatum, narrat, bona quæ per peccati confessionem est assequutus, indicat. Qualem oporteat esse confessionem, ut peccatorum remissionem impetrare valeat, docet. Hic ergo Psalmus pro titulo intellectum habet, quoniam David, & omnibus aliis peccatoribus dat intellectum, & instruit illos, ut in via hæc, qua gradiantur, non sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In hoc Psalmo erudiuntur omnes, ut nunquam de justitia sua, ad instar pharisæi in templo orantis se factare audeant: nunquam de bono, si quod fecerint, gloriam sibi arrogant, sed Deo semper acceptum referant, nunquam ante gratiam de meritis suis, quæ nulla sunt, gloriantur, nunquam de peccati impunitate præsumant, sed cum peccatum aliquod mentem sollicitaverit, multa esse peccatoris flagella considerent, ut saltem illorum horrore & metu perterriti, à peccato perpetrando revocentur, quod si in peccatum labi contigerit (continger autem sæpe) unicuique esse huius veneno saluberrimum antidotum sciant, male scilicet actorum confessionem & penitentiam, quæ nulli peccato quamlibet atroci non medetur. Hoc igitur emolumentum David ex peccato suo (Deo tamen auctore) habuit, quod inde humilior & doctior evasit. Et hanc causam unam & præcipuam ego esse censeo, propter quam Deus electos suos in maxima quandoque vitia labi permittit: quia illos inde occasione accepta, ad suæ infirmitatis cognitionem erudit, & sic humiliores & cautiore facit. Et hoc ipsum sub quadam figura Deus olim prænuuntiavit: (Judic. 3.) cum terra promissionis in potestatem filiorum Israel tradita, barbaras nationes, quæ in terra illa erant, Chanaanem & Amorrhæum & Jebusæum profus subvertere noluit, sed illas reliquit, ut erudiret in eis Israel. Quid per barbaras nationes nisi peccata designantur? Nam præter hoc, quod omnes illæ peccatis

replete erant, illisque serviebant, ipsa nomina interpretatio peccatis usquequaque convenire distinetur. Amorrhæus enim, amarus dicitur latine, at nihil amarius peccato. Nam Princeps Apostolorum Simoni mago loquens, (Act. 8.) peccatumque illius exprimens, dixit: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Peccatum siquidem illius, dixit amarum esse sicut fel. Et ob hanc causam Spiritus Sanctus, qui totius bonitatis fons est & origo, in columba specie apparere dignatus est: quia hæc avis, felle carere dicitur. Peccatum ergo omnem, eo quod amarissimum est, Amorrhæi nomine significatur, Chanaanæus Hebraice, Latine dicitur affligens. Nihil autem gravius & acerbius mentem affligit, quam peccatum. Nulla siquidem major afflictio in hac vita esse potest, quam divinam super se portare maledictionem, à Deo omnium bonorum parente longissime abesse, ab hereditate paterna, aeterna videlicet beatitudine, esse abdicatum, penis denique intolerabilibus & sempiternis (nisi penituerit) esse jam destinatum. Omittit alias afflictiones, quas singula quæque vitia tamquam proprium satellitium secum afferunt: quoniam hæc pœnæ innumeræ sunt. Unde Sapiens ait: (Eccle. 2.) *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & letitiam; peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluum.* Non quidem, quod hæc afflictionis causa in Deo ipso sit, sed in peccatore, qui suo arbitrio peccavit, in cuius peccati pœnam, hanc illi Deus permittit afflictionem. Chanaanæus igitur, qui affligens dicitur, peccatum merito significat, quod (nisi penitentia deleatur) mentem sine ulla intermissione affligit. Jebusæi nomen non minus peccato convenit, quam reliqua. Nam Jebusæi significationem si verbis latinis exprimas, sonat conculeatus, & peccator velut res omnium abjectissima, ab omnibus conculebatur in die iudicii, & nunc à demonibus conculeatur. Peccator siquidem est terra illa secus viam, in qua semen iactatum fructum non tulit, eo quod à transeuntibus conculeatum est. Neque ob aliam causam peccator conculeatur, quam propter peccatum: quoniam homo aliqui magnæ est apud Deum æstimationis, peccatum tamen quasi est, propter quam velut quadam vilissima res contemnitur, & conculeatur. Vidistis jam quo pacto peccata barbaræ meritò & inculpate dicantur gentes, scilicet, Amorrhæus, Chanaanæus, Jebusæus & cætera id genus; sed hæc gentes Dominus in Israele relinquit, cum iustum aliquem in vitia magna labi permittit. Quod autem sine reliquerit, subjungens exprimit. *Ut erudiret, inquit, in eis Israel.* Israel ergo reservatis gentibus eruditur: quia cum iustus in vitium aliquod labitur, multa ad salutem suam necessaria inde discit. Inde enim quam fragilis sit & debilis agnoscit, qui ante peccatum multa & magna de se præsumebat, inde quo pacto alios corrigere debeat, docetur. Qui enim nunquam grave aliquid, quod sibi debeat ignosci, commisit, nondum qualiter sit aliis ignoscendum, plene didicit. Et ob hanc causam (juxta Augustini sententiam) Deus Petrum peccare permittit, ut ex his quæ passus fuisset, disceret misericordiam. Vix enim fieri potest, ut qui misericordiam sibi necessariam intelligit, aliis misericors esse nolit. Hinc Paulus ait: (Galat. 6.) *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tentaris.* Ut quisque aliam recte corrigat, moneat Paulus ut seipsum prius consideret, vitia sua scrutetur, quod quantaque fecerit, quibus misericordia sit opus, advertat. Nam si solum proximi peccatum consideraverit, & suum non attenderit, movebitur non ad misericordiam, sed

sed ad indignationem, non ad instruendum in spiritu lenitatis, sed ad destruentum in spiritu furoris. A seipso ergo modus correctionis distat, ut videlicet, ea mansuetudine & misericordia alios corrigat, qua ipse, cum in peccato fuit, corrigi optavit. A seipso etiam subditorum fragilitatem discat; indignum quippe esse, ut cum vitreus quis sit, ferream patientiam ab aliis requirat, sed eam fragilitatem in aliis post peccatum agnoscat, quam in se fuerit expertus. Discit etiam iustus ex peccato cautelam: quia eo in posterum cautius vivendum esse intelligit, quo magis antea per imprudentiam cecidit, & tanto majorem sollicitudinem & circumspectionem in certamine adhibet, quo magis hostium astutias & potentiam expertus est, à quibus iterum vinci formidabat. Hinc Hieremias Propheta, (cap. 31.) iustum qui à peccato respicit admonet, dicens: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines.* Speculam sibi statuit, qui ventura victoriam certamina ex alta consideratione prænofecit. Amaritudines sibi ponit, qui præterita peccata, ut de illis penitentiam agat, ad memoriam revocat. Ipse sibi amaritudines ponit, qui in amaritudinem vertit, quæ sibi antea male dulcia fuerunt. Amaritudines igitur sibi ponere præcipitur, qui in specula stare debet: quia tunc quisque futura quæ imminet melius circumspicit, & cavet vitia, cum penitens ante oculos suos ponit præterita quæ olim commisit: quoniam ab illis edocetur, quo pacto ab aliis se custodire debeat, nam ut quidam dicit,

Per varios usus artem experientia fecit.

Exemplo monstrante viam.

Quam equus semel in loco aliquo lapsus est, tam vehementer locum illum reformidat, ut etiam si calcaribus urgeas, vix illac transire compellas: quoniam suo ipsius periculo jam factus esse cautior. O igitur detestandam plusquam beluam multorum hominum hebetudinem, qui quantum exemplorum moleitudine nunquam doctiores sunt, neque suis periculis sunt cautiore, sed ad eundem lapidem sæpissime offendere non verentur. Longe tamen aliter Davidem fecisse non ignoramus, quem postquam de adulterio & homicidio penituit, nunquam in similia vitia lapsus esse cognoscimus: quoniam, experientia docente, jam causas & origines peccatorum didicerat, quale sit peccati venenum intellexerat, jam vias, quibus iter in peccatum, agnoscerat, & ideo ab illis summa cum diligentia abstinere curavit. Nam post penitentiam dicit: (Psal. 82.) *Mihi Deo adhaerere bonum est, & ponere in Deo spem meam.* In Deo solo sperat, & non in suis viribus: quia quid ex seipso possit, jam expertus fuerat, post penitentiam majori cum cautela semper vixit: quapropter sciens per oculos mortem ad illum intrasse, illos custodire sagax. Veram quia scit, quod nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam; (Psal. 118.) ideo Dominum orat, dicens: (Psal. 39.) *Averte oculos meos ne videam vanitatem.* Alios etiam de eadem re docet, dicens: *Beatis viri cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitatibus & insaniis falsis.* Vanitates dicit omnia quæ sunt in hoc mundo: quoniam omnia illa (Salomone teste Eccle. 1.) vanitas sunt. Ut autem omnes ad illarum contemplationem averteret, melius facere non potuit, quam dicens illum esse beatum, qui in illas non respicit. Expertus etiam fuerat David, quantum animæ nocent collogia præva: ideo in Dei laudibus se totum occupat. Nam media nocte surgebat ad consistendum Deo, & septies in die, laudes illi dicebat. Sed quia optime novit, quod nemini potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto, ideo Dominum precatur dicens: (Psal. 140.) *Pone Do-*

mine custodiam ori meo, & ostium circumstantia labii mei, ne non declinet cor meum in verba malitia. Sciebat etiam, quod perverse cogitationes separant à Deo, ideo tota die in lege Domini meditatur & in mandatis illius, quæ dilexit, cogitabat. (Psal. 118.) *Didicere etiam totius mali unicuique originem esse otiositatem, ideo ab ea longissime abesse curavit.* Quale autem suum fuerit exercitium, ipse indicavit dicens: (Psal. 76.) *Exercitabar, & scopulam spirituum meum.* Et iterum: (Psal. 118.) *Servus autem tuus exercebatur in tuis iustificationibus.* Non exercebar in agrorum solitione, aut hortorum cultura, aut arborum amputatione, aut regni dilatione, aut cuiusvis alterius patrimonii ampliatione: quoniam omnia hæc vana esse censeo, & instabilia, quæ consistere nequeant. Exercebar ergo in mandatis tuis, & considerabo vias tuas: quoniam qui tuâ servat mandata, aliud illi parasti regnum, multo his terrenis melius, quod quidem non temporale est, sed regnum omnium sæculorum. Vides quantum suam salutis curam David post peccati penitentiam habeat, quantum cum sollicitudine cor suum custodiat? Nunquam enim tantam antea adhibuerat curam, eo quod tunc sibi opus esse nondum intellexerat. A peccato ergo quod commisit, intellexit sollicitudinem sibi esse necessariam. Hæc autem omnia, quæ ipse post peccati penitentiam, Deo interius docente, didicit, alios nunc docere vult, ut satis suæ promissioni faciat, qua promiserat se docturum iniquos vias Dei, ut illis agnitis, ad Deum converti procuraret. Vos igitur peccatores, ad quos solos nobis est sermo, & quos solos David in hoc Psalmo erudiendos suscepit, attentos esse precor, & Prophetæ eruditionem, quam vobis in hoc Psalmo tribuit, tota mente suscipite: quoniam si illam bene servaveritis, non dubito, quin præterita vitia relinquentes, ad virtutis viam capessendam curratis, & sic eati de virtute in virtutem, ut tandem Deum in Sion videre possitis per merita Domini nostri Jesu Christi, quicum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Beati quorum remissa sunt iniquitates.

QUI persuadere aliquid aliis conatur, omnibus modis illud laudare, atque maximis quibus potest præconiis extollere nititur, ut vel sic auditorum animos ad illius amorem alliciat. Tunc enim facillime quisque de aliqua re persuadetur, cum illam undique bonam, videlicet honestam, utilem, atque delectabilem esse plene intellexerit. Est enim talis natura boni, ut illud cognitum nemo non appetat. Bonam ergo esse eam rem quisque debet ostendere, quam ab aliis amari & desiderari cupit: quoniam nisi bonam esse vel aliqua ex parte confiteri, fieri non poterit, ut aliquis illius amore rapiatur. Ad hunc modum mihi nunc David fecisse videtur, qui cum peccatores omnes ad penitentiam hortari vellent, penitentiam laudare enarrare decrevit, & ideo ab omnibus maxima penitentia virtute nunc auspiciatur, sic inquitens: *Beati quorum remissa sunt iniquitates.* Non dicit beatos eos, qui sunt peccatorum expertes, sed eos felices esse asserit, qui ut peccaverunt, eorum iniquitates remissæ sunt. Quoniam in hoc Psalmo non laudatur innocentia, sed penitentia. Prima igitur penitentia laus est, quod per illam iniquitates omnes quamlibet graves remittantur. Et ob hanc causam beatos esse asserit penitentes: quoniam peccata, quæ illos bea-

beatitudine consequenda impedebant, penitentia interveniente, remissa sunt. Beati igitur penitentes: quoniam viam apertissimam & rectissimam ad beatitudinem assequendam ingressi sunt. Nam via ipsa ad beatitudinem, in sacris litteris frequentissime nominatur beatitudo. Non enim ob aliam causam beatus dicitur qui timet Dominum, qua quia via certissima ad beatitudinem est timor Dei. (Psal. 111.) Ob eandem causam qui perfectionem patiuntur propter iustitiam, dicuntur beati. Quoniam (ut ait Apostolus 2. Tim. 3.) omnes qui pie volunt vivere cum Christo, persecutionem patiuntur. Ob hanc etiam causam beati dicuntur, quorum remissa sunt iniquitates: quoniam adeo certam beatitudinis viam sunt assequuti, ut si ab ea non deslexerint, de beatitudine assequenda sint securi. Magna ergo iure censenda est hæc penitentiae virtus, quod illa interveniente, peccata remittuntur, & paradysi portæ, quas nobis peccata occluserant, patefiunt. Penitentiam hic dicimus, non cuiuslibet penæ tolerantiam, prout vulgus dicere solet, qui tunc aliquem penitentiam agere censet, cum jejunat, aurorat, aut peregre proficiscitur, aut pauperi tribuit elemosynam, aut aliud quodvis sustinet molestiam. De hac penitentia, vel (ut verius dicam) integræ penitentiae parte, non est nobis nunc sermo, neque hujus laudes nunc exprimit David, quippe quia non tanti est meriti. Hæc enim penitentia, quæ solum exterioris penæ tolerantiam amplectitur, non tantæ est virtutis, ut sola ad peccatorum remissionem sufficiat, nec illa est, quæ regnum cælorum appropinquare facit. Post sunt enim multi corporis labores, multaque penæ & ærumnæ tolerari, constante peccati præteriti complacentia, aut voto futuri. Hoc enim ipse Dominus per Esaiam Prophetam testatur, qui cum Judæi quæterent & dicerent: quare jejunavimus, & non aspexisti, humiliavimus animas nostras & nefecisti? respondit. (Esaï. 58. 3.) Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiet. Et paucis interpositis, tale jejunium damnans, subdit. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem, animam suam? Numquid contorquere quasi circum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? Quibus verbis Deus omnem corporis afflictionem, quam animæ virtus non comitatur, damnat, & inutile esse asserit. Sola enim ventris esuriet, absque aliarum virtutum exercitio, non valet Deum placare, cui solus spiritus contribulatus est acceptabile sacrificium. (Psal. 50.) Nam Paulus etiam si tradiderit corpus suum ita ut ardeat, absque Dei charitate, quæ est in cordis conscientia, nihil sibi profuturum existimat. (1. Corinth. 13.) Hæc igitur exterior corporis afflictio, quam vulgus penitentiam dicere solet, ad medicum utilis est, nisi illam cordis compunctio comitetur. Non est ergo hæc, quam nunc in presenti Psalmo David sic extollit, ut per illam omnes iniquitates remitti asserat; sed penitentiam, hic dicimus, displicentiam peccati, quam corde concipimus, ex qua tristitia quadam oritur, cor ipsum affligens. Et hæc virtus est, quæ iustitia merito dici potest, sicut peccatum ipsum dicitur injustitia. Et potest quidem intra iustitiæ punitionem alveum concludi: quoniam per hanc, peccator seipsum ob admittum delictum tristitia & merore puniit. Verum ut hæc perfecta sit virtus, integram causam adhibere oportet, nam duo alia sunt ibi necessaria, quorum si alterum tollas, virtus non erit, nec alicujus momenti auctoritatis existimabitur. Ab eo enim cui peccatum displicet,

si peccatum per talem displicentiam sibi condonari optat, exigitur, ut peccati confessionem habeat in voto, & pro illo satisfactionem, ut scilicet confiteri decernat tempore quo ad illud faciendum tenetur, & satisfactionem pro peccato Deo reddere non renuat, hoc est, ut dignas peccato velit luere penas. Si horum alterum desit, vera non erit displicentia, nec virtus dicenda erit, quo fiet, ut per illam peccata minime remittantur. Quomvis enim propter peccatum admittum deficiat in dolore via alicujus, & anni illius transcant in gemitibus, si tamen peccatum confiteri erubescit, aut satis Deo pro peccato facere renuit, hoc est, dignas pro peccato penas subire recusat, numquam peccati sui remissionem assequetur. Solet etiam penitentia dici ipsa peccatorum confessio, vel (ut verius dicam) peccatorum in aures confessoris dictorum absolutio, sed hæc Sacramentum est, non virtus, eandem tamen habet vim, & efficaciam sicut prior illa, quam virtutem esse diximus. Quicquid enim ad peccati deletionem & gratiæ recipiendæ preparationem, & gloriæ cœlestis apertionem uni convenit, & alteri. Quapropter indiscrite & absque ullo discrimine deinceps loquemur, cum penitentiae laudes annuntiamus: quod de una dictum fuerit, de alia dictum putato. Utraque ergo penitentia, sive virtus, sive Sacramentum, hanc habet laudem, quod penitentes, qui anie à via cœlestis patriæ declinantes, tamquam ovis quæ perit, errabundi vagabuntur, ad ream beatitudinis viam reducit, quam si tenuerint, ipsam beatitudinem, ad quam omnes tendimus, certissime assequuntur. Quoniam iniquitates omnes, quæ illos à recta via abduxerant, per penitentiam remissa sunt. Propter quod Salomon ait: *Livor vulneris abstergit mala, & plaga in secretioribus ventris*, (Prov. 20.) Ventris appellatione, mens intelligitur: quia sicut venter consumit escas, ita mens pertractando excoquit curas, & quemadmodum venter escis repletus distenditur, sic mens multis cogitationibus dilata elevatur. Plaga ergo in secretioribus ventris abstergit mala, quia interior cordis compunctio, delet omnem peccatorum malitiam, Deus, qui solo corde offunditur, solo etiam corde placatur. Nihil est enim quod Deum offendere possit, si ex corde non procedit: quoniam id quod voluntarium non est, peccatum censerit non potest. Et hoc ipsum saluator ipse comprobat, qui apud Matthæum (cap. 15.) ait: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, blasphemie, falsa testimonia, hæc sunt quæ coinquinant hominem*. Quo verborum schemate aperte satis innuit, quæ ex corde non exeunt, minime hominis animam coinquinare, ac proinde Deum non offendere. Cum ergo corde solo Deus offendatur, solo etiam corde placari vult. Decernit enim Deus, ut eodem loco iustitia & puniitio exerceretur, quo crimen perpetratum est: quia ergo corde precipue peccatur, cordis punitionem, hoc est contritionem Deus requirit, & illa præcipue placatur. Peccator igitur, qui Deum iratum placare cupit, oportet, ut quod prius cordi suo placuit, postea eidem displiceat, & sicut prius letatum est cor ejus, & exultavit in rebus pessimis, ita postmodum luctum uni genitii faciat sibi planctum amarum, & sic fiet, ut quantum glorificavit se & in delictis fuit, tantum tormentum subeat, & tunc plagæ, quas in secretioribus mentis suæ sustinuit (juxta Salomonis sententiam), absterget mala. Et hoc ipsum in Davide experiri possumus. Hic enim cum ad vocem Nathan Propheta illum de peccato arguentis dixisset, ex corde: *Peccavi*, statim audivit ab eodem Propheta. (2. Reg. 12.) *Dominus transiit peccatum tuum*

à te. Neque hoc privilegii fuit particularis, ut Davidi penitentia peccatum fuerit dimissum, sed juxta communem legem, quam dulcis & rectus Dominus delinquentibus in via dederat, tunc agere fuit necesse. Universalis namque lex per Ezechielem Prophetam (cap. 18.) promulgata, sic ait: *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & justitiam, vita vivet, & non morietur*. Neque tam recens putanda est hæc tam pietissima diviniæ bonitatis lex, ut à solo Ezechielis tempore ceperit, cum multo sit vetustior, quippe quæ post primum hominis admittum peccatum fuerit orta. Nam per hanc penitentiae legem primi parentes sunt consecuti misericordiam, & peccati remissionem. Et per eandem eorum, filius Caim, qui primus humanum sanguinem fudit, habuisset homicidii indulgentiam, si penitentiae remedio fuisset usus. Per hanc legem, & Magdalene peccata dimittuntur, & Petro abnegationis crimen condonatur. Per eandem Paulus christianorum persecutor, misericordiam est assequutus. Eiusdem legis favore & auxilio, latronis animæ, statim ut corporis nexibus fuit soluta, regni cælorum parit introitus. (Luc. 23.) Nulli denique vere penitenti, numquam hæc penitentiae lex non favit. Nam cum in favore omnium peccatorum statuta fuerit à Deo, oportet ut nulli, qui hujus legis imploraverit beneficium, sit denegatum, nisi adeo impie de Deo sentire non erubescat, ut Deum aut mendacem, aut personarum acceptatorem dicere velit. Omni igitur vere penitenti omni tempore semper fuit data peccati remissio. Propter quod statim cum Deus leges populo dare cepit, hanc de peccatorum remissione per penitentiam habenda, inter alia miscuit, ut veramine tamen, & aliarum rerum figuris, prout tunc populo illi carnali loqui consuevit. Nam in Levitico libro de animæ peccantis remedio loquens, (cap. 3.) ait: *Si peccaverit anima per ignorantiam de populo terra, ut faciat quicquam ex his quæ lege Domini prohibentur, atque delinquat, & cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam, ponetque manum super caput hostiæ, quæ pro peccato est, & immolabit eam in loco holocausti, tolletque Sacerdos de sanguine in digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus. Omnem autem auferens adipem, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino, rogabitque pro eo, & dimittetur ei*. Hæc tunc præcepta sunt ad peccatorum remissionem obtinendam, non ut solum litteræ corticem apprehenderent, sed ut spirituales etiam intelligentiam, quæ sub illo cortice latet, perquirent. Nam (ut ait Paulus 2. Corinth. 3.) *littera occidit, spiritus autem vivificat*. Precedunt ergo nos Deum, ut auferat velamen de cordibus nostris, quo claritatem vultus Moysi intueri velimus, & intelligamus, quid intra hujus litteræ velamen lateat: quoniam si sit qui intelligat, spirituales hic radios facies Moysi vibrat. Ille ergo qui peccavit, jubetur capram offerre, si peccatum suum agnovit, ex quibus colligimus, illius peccatoris hostiam non esse acceptam, qui peccatum suum non agnovit. Peccatum suum agnoscere (prout ego existimo) ille solus dicendus est, qui quam noxium ex peccatum, & quam graviter puniendum considerans, illud detestatur. Nam (sicut beatus Joannes ait 1. Joan. 2.) *qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non servat, mendax est*: ita etiam ille, mea sententia, peccatum suum non agnoscere dicendus est, qui illud, ut decet, non detestatur. Tanta est enim peccati malitia, ut quisquis illam probe intellexerit, statim ab illa resiliat. Is ergo qui postquam

peccavit intellexerit peccatum suum, id est, peccati sui malitiam cognoverit, & ob hoc illud oderit, offerat capram immaculatam, id est, pro peccato satisfactionem. Quod vero additur immaculatam, ideo dixit, ne sic unum peccatum detestetur, ut aliud habeat in voto, & sic pro uno satisfaciatur, ut aliud perperare non erubescat, sic enim unius peccati satisfactio, alterius conjunctione maculatur. Propter quod Sapiens, ait: (Eccle. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficiet lavatio ejus?*) Parum namque prodest ab uno & altero abstinere, si postea illa aut alia committat. Immaculata ergo debet esse hostia, quæ pro peccato offertur. Qui vere de peccato penitet, apud seipsum firmissime statueret debet, numquam aliud simile perpetraturum. Hujus sanguinem Sacerdos digito tangere debet, ut fundat super altare, & reliquum sanguinem fundat ad basim altaris. Sanguis hostiæ pro peccato, lacrymæ sunt peccatoris, & maceratio penitentiae, propter quod David ait: (Psal. 57.) *Lacrymabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*. Corrigit enim iustus, cum peccatorem viderit flagellari. Et Judæi, qui Christi mortem susceperant, dicebant: (Matth. 27.) *Sanguis ejus super nos*. Ac si dicerent. Hujus peccati penæ nobis infligatur. Sanguinem ergo hostiæ digito tangit, cum peccator ad penitentiam cooperatur, illum erudiens, qualiter pro peccatis flere debeat, & illa confiteri non erubescere. Illius sanguinem tangit, cum à peccatis absolvit. Oportet ergo penitentem ad Sacerdotem accedere, vulnera peccatorum per confessionem detegere, coram illo flere, sanguine suo Sacerdos tangatur, & sic penitentem adjuvet, & à peccato absolvat. Sed hujus sanguinis partem super altare, partem super basim altaris debet fundere: quia & hominibus & Deo peccator reconciliari, & homines & Deum sua humilitate penitentia, placare debet. Altare hoc, sancta est Ecclesia, extra quam nulla est vera oblatio, nec munus aliquod quod extra illam offertur, est Deo acceptabile. Hujus altaris basis est Christus, qui omnes non portat verbo virtutis suæ, sicut ipse per Esaiam Prophetam promittit, (cap. 46.) dicens: *Ego feci, ego seram, ego portabo & salvabo*. Sanguinem super altare fundere, est iustorum, qui sunt in Ecclesia, orationes petere, & illis reconciliari. Sed quia omnis iustorum oratio sine Christi favore & auxilio, gratiam impetrare non potest, ideo præcipitur, ut sanguinem reliquum fundat ad basim altaris. Quo inuitur, ut post impetrata sanctorum patrocinia, convertat peccatorum gemitum suum ad Deum, coram illo gemat, & spiritus contribulati sacrificium illi offerat, oretque Deum, ut gratiam flendi pro peccatis, atque ut peccata quæ commisit, debite confiteri possit, tribuat. Propter quod Sapiens ait: (Eccle. 17.) *Precare ante faciem Dei, & minue offendicula*. Nullus namque digne potest plangere quod male egit, nisi spiritus Christi illum adjuverit. *Quid enim nos orems sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulatur pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. (Rom. 8.) Hujus hostiæ adeps igne cremandus est. Adeps, humanam affectionem significat, quæ per hæc visibilia sparsa est, quæ plurimos affectus malos parit. Sed hæc igne cremari præcipitur: quia affectus anime, per quos illa carnaliter vivit, ab imperio suo coerceri debent, ut sit in homine unde Deus amari possit. Quibus omnibus sic peractis, subdit: *Rogabit pro eo Sacerdos, & dimittetur ei*. Rogante Sacerdote, peccatum dimittitur: quia (juxta salvatoris promissa Joan. 20.) quorum Sacerdotes remiserint peccata, remissa erunt. Vides illam magnam penitentiae virtutem sub illo

durissimo litteræ cortice latentem, ut illa interveniente, omnia quamlibet gravia peccata remittantur. Beati igitur poenitentes: quoniam poenitentia meritis omnes illorum iniquitates remittit. Magna ergo poenitentia virtus, quæ si peccatorem in pristinum iustitiam statum sic sepe restituit, ut nullum præteriti lapsus vestigium maneat, quo sit, ut innocentia merito æquari possit. Propter quod in Ezechiele Propheta, (cap. 44.) per portam ad aquilonem etiam gloria Domini transire dicitur, sicut per portam ad orientem. Omnes qui divinum gratiæ lumen, quod semel hauserunt, conservaverunt, in innocentia persistentes, portam ad orientem habent, per quam Domini gloria ad illos intrat. Qui autem in peccata ruentes frigore malitiæ congelantur, portam ad aquilonem habent, quia illis etiam post peccati frigora regni aditus per misericordiam patet. Porta ergo quæ ad aquilonem est, eadem habere dicitur quæ porta ad orientem: quia multi post poenitentiam sunt adeo boni sicut illi qui à peccatis abstinentes, innocentiam custodierunt. Et quod mirabilis est, multi post lapsum fortiores per poenitentiam surgunt, quam antea fuerant, quia quo magis se cecidisse agnoverint, eo magis surgere conantur. Cum autem cuilibet bene conanti Deus semper porrigat manum suam, sit, ut Deo adjuvante, & peccatore magis annitente, peccator rector & fortior surgat, & cautior postmodum vivat. Unde evenit, ut poenitentiam non solum æquetur innocentia, sed illi sæpenumero iure possit præponi. In cuius rei confirmationem illud advertendum est, quod hostia capræ quæ pro peccato offerri jubetur, in eodem loco immolari præcipitur, in quo holocaustum, hoc est in introitu tabernaculi, cum tamen ovis pacificorum, quæ innocentiam designat, non in introitu tabernaculi, sed longe, puta in vestibulo, jubebatur immolari. Quod non ob aliam causam dictum esse putandum est, nisi quia sæpenumero poenitentia longo intervallo excedit innocentiam, ita (ut iuxta Pauli sententiam Rom. 5.) ubi abundavit delictum, superabundet postea gratia. Credo firmiter meliorem fuisse David post peccati poenitentiam, quam ante peccatum. Non dubito Petrum firmiter dilexisse Dominum postquam egressus foras levit amare, quam ante negationem illum dilexerat. Quis dubitat Magdalene vitam post lachrymas in domo Simonis fufas multo excellentiorem & majoris meriti fuisse, quam ante unquam fuerat. Nec opus est longum catalogum texere, cum quotidie videamus multos, qui à statu iustitiæ miserabiliter lapsi, fructuosa postmodum succedente poenitentia, primam meritorum gratiam transcendunt. Sæpe enim contingit, ut aliquis ab hostibus circumdatus parum conetur & tepide, pro sui defensione, eo quod securum se putat, nec hostes suos timet, si tamen in hostium potestatem venerit omnes exerceret vires, nullum non movere lapidem, nihil intentatum relinquit, ut ab hostibus eripiatur, ereptus postea si contingat oppugnari, fortius resistit, & cautius aget. Ad eundem modum evenit in multis, qui post poenitentiam fortiores surgunt & cautiores, quam antea fuerant. In quibus nulli dubium, quin illorum poenitentia innocentia eorumdem sit merito præferenda. Cum ergo tanta sit poenitentia virtus, tot testimoniis & experientis comprobata, quisquis se peccasse meminit, ad poenitentia remedium confugiat, quam nullum est tam grave peccatum, neque tanta peccatorum multitudo, cui illa subvenire non possit, peccatorum impetrans remissionem. Qua data, statim regni cœlestis aditus patet per merita Jesu Christi filii Dei, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

Et quorum tecta sunt peccata.

Explicita poenitentia virtute, quam tantam esse diximus, ut ipsius meritis, quamlibet grave peccatum, quamlibet etiam numero sunt remittatur, nunc vero poenitentia radicem, videlicet charitatem, à qua omnis poenitentia virtus procedit, Propheta explicat, dicens illos esse beatos, quorum tecta sunt peccata. Non sunt enim remissa iniquitates, quæ non sunt tecta. Teguntur autem per charitatem, sicut beatus Petrus ait: (1. Pet. 4.) Charitas operit multitudinem peccatorum. Operit quidem velut vestis, quæ si corpus aliquid ulceribus plenum texerit, efficiet, ut vulnera illius non videantur ab aliis: ita charitas, si animæ peccatis vulnerata infundatur, omnia illius vulnera teget, ut jam non videantur à Deo, qui omnia novit. Sicut enim ipsemet Deus nescire se dicit malos propterea quod illis præmia æterna donare non statuit, ita etiam merito dicemus illum nescire mala, quæ superveniente charitate teguntur, eo quod illis æternam poenam jam non decernit injungere. Nullum est enim malum aut bonum adeo secretum, ut illi Deus poenam aut præmium non decernat. Malum ergo, cui à Deo iusta non decernitur poena, ab illo (iuxta hunc locutionis modum) ignoratum esse convincitur. Nam alias nihil est, quod illum latere possit. Quid poterit occultatum esse illi, cujus oculi contemplantur bonos & malos, & cujus oculis (ut ait Paulus Hebr. 9.) omnia aperta sunt? Videt ergo Deus mala, quorum poenitentium eorum auctores, non tamen sic ea videt, ut illis poenam æternam indigere statuatur, quia charitas superveniens obstat, ne sic à Deo videantur. Charitas, quæ se oculis divinis objicit quo minus Deus peccata videat, hæc est, quæ peccata tegere dicitur, & ab hac omnem suam virtutem peccatorum poenitentia capit, ut illius meritis peccata remittantur. Nec solum poenitentia, sed quodvis aliud bonum, ut absolute bonum, hoc est vitæ æternæ meritum dici possit, à charitate habet. Hac enim seclusa, nihil est quod vitæ æternæ, dignum dici possit. Hæc est, quæ cuilibet bono operi tribuit virtutis perfectionem. Omne igitur quod vere bonum esse debet, charitate perfici oportet. Nam in magifico illo Salomonis templo nil erat quod non auro tegetur. Templum Dei (ut ait Paulus 1. Corinth. 3.) sanctum est, quod estis vos. Verum hoc templum, & si in aliis quamlibet pretiosis virtutibus construat, charitatis tamen tegumento deficiente, indignum tanto habitatore iudicabitur. Tegit ergo omnia charitas, si bona illa sint, si mala. Bona tegit, quia illis tribuit exactam virtutis perfectionem, & ultimam bonitatis complementum. Mala tegit, quia illa ne à Deo videri possint, operit, si que operit, ut illa sola absque ullo expresso peccatorum dolore valeat ad peccatorum remissionem obtinendam. Si quis enim peccator, maximis etiam criminibus obvolutus, à tyranno aliquo tormentis urgeretur ut fidem negaret, & ille constanti animo fidem teneret, & tormenta omnia, omnes cruciatus, mortem denique pro Dei amore contemnens, patientissime toleraret, nullus dubitat, huius mortem fore in conspectu Domini pretiosam, etiam si tormentis tunc cogentibus peccatorum suorum minime recordatus, nullum propter illa mente concepisset dolorem. Ille quidem peccatorum poenitentiam in virtute & radice habuisse dicitur, qui charitatem habuit, quæ est veræ poenitentia

rentia radix. Si autem vice versa peccatorum poeniteret, nec tamen charitate aut stimulante aut cogente id faceret, nihil illi ad salutem huiusmodi poenitentia valeret. Et hæc est una ex potissimis causis propter quam illis qui sunt in inferno nunquam peccata remittentur, quamvis Salomone teste, (Sapi. 5.) propter delicta perpetrata gemant, & illorum poenitentia: quoniam ut id faciant, non illos charitas impellit ut comitatur, sed solum poenitentiam odium, & sui ipsorum amor. Ex his ergo omnibus colligimus, solam charitatem esse, quæ tanti poenitentiam facit, ut illius meritis peccata remittantur. Hinc est quod Christus Servator noster, cum mulieri peccatrici peccata condonavit, ait: (Luc. 8.) Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Non dixit, quia multum doluit, aut quia multum lachrymata est, aut quia oleo caput meum unxit, aut quia pedes meos lachrymis suis rigavit & capillis terxit: quoniam omnia illa & alia multo duriora, seclusa charitate, non valent ad remissionem peccatorum; sed dixit, quoniam dilexit multum, ut videlicet omnem poenitentia virtutem ex Dei amore pendere innueret. Et propter hanc causam Propheta (ut ego existimo) postquam poenitentia virtutem explicaverat, dicens beatos esse illos, quorum remissa sunt iniquitates, statim causam & originem illius remissionis aperuit esse charitatem dicens, & quorum tecta sunt peccata. Tegit autem (ut diximus) sola charitas. Non enim sentio cum illis, qui alii putant intelligi per iniquitates, & alii per peccata, ita ut iniquitates referant ad ea, quæ per baptismum diluuntur, peccata vero, ad illa, quæ post baptismum commissa per poenitentiam remittuntur. Mihi vero (cum bona illorum venia) ea probatur sententia, ut hæc posterior versiculi pars non aliquid à priori significet, sed sit quasi prioris partis interpretatio, iuxta quem loquendi modum sunt in Psalmis Davidicis multa. Et, ut unum aut alterum è multis profertur, illud est apertissimum, quod in Psalmo quinquagesimo dicitur: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Nam ideo peccatum se cognoscere ait, quia illud semper ob oculos suos obverfabatur. Vix enim fieri potest, ut quis, nisi cæcus ille sit, non videat illud, quod semper est coram oculis suis. Et illud est apertissimum, quod in (Psal. 101.) ait: Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de celo in terram aspexit. Quid sit prospicere de excelso sancto, expoluit per id quod subdidit. Dominus de celo in terram aspexit. Et in (Psal. 69.) Deus tu scis insipientiam meam. Quam sententiam repetens subdidit: Et delicta mea à te non sunt abscondita. Ad hunc modum ego nunc Davidem fecisse censo, qui postquam dixerat illos esse beatos, quorum remissa sunt iniquitates, statim ipsius remissionis principem causam explicuit, sic inquit. Et quorum tecta sunt peccata. Quibus verbis, charitatem, quæ sola tegere valet peccata, significavit, docens illam esse, à qua omnem suum vigorem vera poenitentia sumit. Verum hic admonendum censui, ut nullus putet sic ad veram poenitentiam esse necessariam charitatem, ut si aliunde, puta ex timore mortis, aut ex metu iustissimi iudicis, aut ex odio poenitentiam inferni, aut alia quavis simili causa inchoetur, malam illam esse credat, aut quæ utilis & fructuosa esse non possit. Absit à Christi fidelibus hæc sententia: quam sacræ litteræ, & sanctorum omnium concors sententia damnant. Nam hæc inter Lutheri impietates & venenosa dogmata numeratur. Si enim peccatorum poenitentia, quæ à timore servilis inchoatur, bona esse non posset, nunquam Christus Servator noster per talem timorem peccato-

res ad poenitentiam hortaretur, ac sæpissime hunc timorem, peccatorum cordibus incusit, ut vel timore cogente male actorum poenitentes, bene sibi in posterum confulerent. Nisi poenitentiam (inquit ille Luc. 13.) egeritis, omnes simul peribitis. Et cum de ultimo illo & digne timendo iudicio disputasset, dicens illius diem esse incertum, statim subdidit. (Matth. 24.) Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et in parabola de cœna, ad quam cum invitati recusarent venire, ait Dominus servo. (Luc. 14.) Exi in vias & sepes, & compelle eos intrare, ut impleatur domus mea. At quis non videt compulsionem fieri, non tractu suavi, sed per quandam quasi vim & violentiam, & tamen sic compulsi, intrant domum Dei, & implent illam. Et præcursor illius Joannes Baptista, cum peccatores ad poenitentiam hortatur, iram Domini illis futuram, ni id fecerint, docet, ut timore urgente, discant à peccatis cavere, & propter jam commissam dolere, sic enim ait: (Luc. 3.) Genimina viperarum, quis ostendit, vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentia. Et paucis interjunctis, poenas inferni minatur illis, qui non egerint poenitentiam, sic inquit: Jam enim securus ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem miseretur. Si mala esset peccatorum poenitentia, quæ à timore mortis & gehennæ inchoatur, nunquam Saluator noster, aut illius præcursor peccatores ad illam hortaretur. Deinde parabola illa apud Mathæum (cap. 18.) de Rege subducente rationem cum servis suis, & debita ab uno servorum exigente, apertissime docet talem contritionem peccatorum, quæ à gehennæ odio oritur, esse bonam, & fructuosam, & ad peccatorum remissionem obtinendam sufficientem. Nam servus ille, decem millium talentorum debitor, qui eo quod solvendo non erat, iustus est vendi, hoc est, dæmonibus ad torquendum tradit, horrore & odio poenarum, quibus illum Rex destinabat, preces ad Dominum fudit, humiliter pro sola debiti prorogatione supplicans, cui Rex pro sua benignitate & magnificencia, non solum quam petiit dilationem, sed totius debiti remissionem indulxit, quæ rata permanisset, si ille iam impendisset conservo misericordiam, quam se à Domino accepisse meminerat. Non est ergo mala poenitentia, quæ à timore etiam servili inchoatur. Verum & si huiusmodi poenitentia, quæ ex timore gehennæ & horrore poenarum oritur, mala non sit, bona tamen nunquam erit, nisi ultra progrediatur, ut scilicet ex timore procedat in amorem, ita, ut quod timore inchoatum est, amore postmodum perficiatur. Nam hæc est timoris servilis virtus & bonitas, quod amorem inducere potest, velut acus filum. Nam de hoc timore testatur Propheta, (Psal. 110.) illum esse initium sapientiæ, illius (inquam) sapientiæ, de qua Sapiens ait: Dilectio Dei honorabilis sapientiæ. Fieri enim potest, ut quis ex odio poenarum procedat ad cognitionem peccatorum, considerans & perpendens quanta sit peccati malitia, cui tot tantæque parantur poenæ. Nam (ut est apud Esaiam: cap. 28.) vexatio dat intellectum. Deinde ex cognitione peccati, convertit se ad cognitionem virtutis, & quanta sit merces illi à Deo parata, considerat, & inde ad Deum pervenit, illius iustitiam contemplan: qui ut malis poenam, ita bonis præmia magna tribuit, & propter hoc illud amat. Et inde iterum convertit se ad peccati considerationem, per quod agnoscat se Deum offendisse. Tunc igitur peccati nequitia exacte considerata odit illud, non solum ratione poenarum, quæ propter illud infligendæ sunt, nisi poeniteat, sed quia malum, quia virtuti contrarium,